CENTRALE V. E. II
84
C
10

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
31 A
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

84
C
10

84
C
8

83-4

IOSEPHI PATRIARCHAE VITA

A PHILONE HEBRAEO
Græcè compoſita;

ET A PETRO FRANCISCO ZINO
Canonico Veronenſi in latinum
conuerſa:

IN QVA OPTIMI VIRI CIVILIS
forma deſcribitur.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



VENETIIS, Apud Chriſtophorum Zanetum.
M D LXXIV.

MO

ILLVSTRISS.

AC REVERENDISS. S. R. E. CARDINALI PTOLEMAEO Gallio Nouocomenſi,

PETRVS FRANCISCVS ZINVS Canonicus Veronenſis

S. D.

SAEPENVMERÒ *mecum ipſe ſum admiratus, Illuſtriſs. ac Reuerẽdiſs.* PTOLEMAEE, *cur, cùm omnia, quæ in hoc ampliſſimo orbis amphitheatro cernuntur, vel ordine, vel pulchritudine, vel vtilitate ſummam Dei Optimi Max. tum ſapientiam, tum erga nos beneuolentiam teſtificentur: tam pauci tamen ſint, qui non ita viuant, quaſi*

mundum ipſum temerè conflatum eſſe, ac fortuitò regi, nec res humanas ab eo putent adminiſtrari. Quòd ſi hoc apud eos ſolùm contingeret, qui veræ ſunt Religionis expertes: minus mirum fortaſſe videri poſſet. Nunc autem id euenire perſpicimus in eo populo, qui claro veritatis lumine illuſtratus, & orbem ipſum ab immortali Deo conditum eſſe, & eius ſapientia gubernari, ſeq; ab illo ita diligi confitetur, vt propter ſe præcipuè non modò reliqua procrearit, ſed filium ſuum vnigenitum in terras miſerit, qui nos ſanguine ſuo à peccatis ablutos cæleſti Patri recõciliaret. Huiuſce grauiſſimi erroris cauſas duas potiſſimũ reperio: Vnam, quòd quidam nomine tantùm Chriſtiani, auaritiæ, deliciarũ, & ambitionis tenebris obcæcati, ſibi ipſi falſò opinionis errore perſuadent, omnia morte deleri, nullam rerum humanarum Deo curam eſſe. Edamus, inquiunt, & bibamus; cras enim moriemur: atque eò væſaniæ tandem præcipites ru-

unt, vt penitus inſipientes effecti dicant in cordibus ſuis, non eſt Deus. Quo nihil miſerius homini poteſt accidere. Naufragium enim, vt inquit Apoſtolus, fit in fide. Et ex credentium animis diuina ſemina ſurripiuntur à Diabolo, ne ſalui fiant. Alteram, quòd nonnulli, quanuis & Deum eſſe, & omnia ab eo credant eſſe condita & procreata, atque eius ſapientia regi ac gubernari, tamen videntes & bonos opprimi, & malos extolli, hæſitant, anguntur, & cum Propheta dicunt: Mei penè moti ſunt pedes, dum pacem peccatorum video. Duplicis huiuſce erroris medicina eſt verbum Dei, & ſanctarum lectio ſcripturarum. Nam & priores illi, cùm animaduerterint, quàm breue ſit huius miſeræ vitæ curriculum: Quanto labore parentur diuitiæ, quo metu, qua inuidia, quibus periculis cuſtodiantur, & diſpenſentur: Quanto plus aloes, quàm mellis habeat malorum eſca voluptas, & miſera ambitio, facilè agnoſcent er-

rorem ſuum. Alteri autem cùm intellexerint, ſic ordinẽ vniuerſi poſtulare, vt non omnia fiant eodem modo, ſed quo pateat non ſolum iuſtitia Dei, & ſapientia, verumetiam patientia, & bonitas, & animi immortalitas, & carnis reſurrectio, & extremum atque formidãdum illud iudicium, ac vita æterna, tum bonorum feliciſſima, tum improborum miſerrima, neceſſe eſſe, vt varietas hæc in rerum humanarum vniuerſitate conſpiciatur, vt ex ſceleratis, ac flagitioſis hominibus partim etiam in hac vita meritas dare pœnas incipiant, vt Cain, vt Pharao, vt Iudas: partim impunè ſcelera ſua ferentes, optata omnia, ſaltem certũ aliquod ad tempus conſequantur. Raro enim antecedẽtem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo. Contrà verò ex probis viris, & innocentibus alios in hac etiam vita merita virtutum præmia ex parte aliqua conſequi. Nonnullis, quo patientia atque innocentia ipſorum illuſtrior fiat, aliquã-

tiſper

tiſper vexari: qualis Iob, & tres illi pueri, qui in caminum ignis coniecti ſunt: mox autem, ne extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas, ex rebus aduerſis eripi, & meritos honores, & gloriã adipiſci. Multos autem in tota ferè vita adeò premi, angi, & cruciari, vt omni genere iniuriarum, & calamitatum, ac tormentorum perpetuò ſic afficiantur, vt aliquando careant etiam ſepultura, cuiuſmodi fuit Abel, Vrias, Naboth, cuiuſmodi B. Stephanus, Lazarus, omnes Apoſtoli, atque alij innumerabiles Martyres: cuiuſmodi Martyrum, & bonorum omnium ita vexatorum dux, princeps, conſolatur, & coronatur Chriſtus Ieſus. Egô, vt omnium miſerrimos exiſtimo, quibus cuncta ad voluntatem ſemper ſecunda fluunt, qualis diues ille, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè: Ita beatos arbitror, qui, vt eorum virtus, tanquàm aurum in fornace, purior, & clarior fiat, vexantur aliquandiu; mox

autem, vt Dei iuſtitia, & benignitas hic etiam agnoſcatur, liberati meritis honoribus, & commodis cumulantur. Multæ enim tribulationes iuſtorum, ſed de his omnibus eos aliquãdo liberat Deus. Talis Suſanna, talis Dauid, talis Ioſeph, & alij multi. Cæterùm longè omnium beatiſsimos cenſeo, qui propter Deum, & propter pietatem atque iuſtitiam in egeſtate verſantur, & luctu. Qui calumnijs, ignominijs, capite, & fortunis oppugnati, facultates, & opes, & honores, & vitam ipſam, omnibus etiam cruciatibus, & contumelijs affecti patienter amittunt. Qualia fuerunt, vt paulo ante dicebã, innumerabilia Sanctorum Martyrum millia, qui, cruce quiſque ſua libenter ſublata, Dei filium ſecuti ſunt. Ac fuit quidem tempus, cùm ego quoque ab omnibus ferè deſertus, & ab improbis capite ac fortunis diu miſerè oppugnatus me in horum numero fore credidi. Quod profectò eueniſſet, niſi ſumma Dei prouidentia, te,

quaſi

quaſi alterum Danielem, ad me de manibus impiorum eripiendum excitaſſet. Niſi Gregorium XIII. Pont. Opt. Max. tanquàm alterum Salomonem adduxiſſet, qui audaciam eorum, qui fortunis noſtris tanquàm ſurreptitio filio inhiabant, & improba ſpe ſpolia noſtra inter ſe iam diuiſerant ac deuorarant, repreſſiſſet, mihiq́; mea bona, immò verò Dona Dei, tanquàm ſua veræ matri pignora conſeruaſſet. Ex quo quidẽ iudicio, vt olim ex illo Solomonis, diuina Sanctitatis eius ſapiẽtia, qua in magna tranquillitate totius Chriſtianæ Reipub. gubernacula moderatur, ſic eluxit, vt illi, meritò, vti verò filij Dei Vicario, omnem in cœlo, & in terra poteſtatem, & claues regni Cœlorum traditas eſſe, omnes lætentur & gaudeant. Voluit igitur inſcrutabilis illa Dei prouidentia, me in ſecunda potius ſuorum claſſe collocari. Cuius quidem benignitas ob id mihi potiſſimum gratior ac iucundior extitit, quòd optatiſſimam il-

lam occaſionem nactus ſum, quæ mihi rerum omnium, quæ in hac vita ſecundæ, & proſperæ cuiquam poßint accidere, iucundißima fuit. Memini enim, me quondam ad te ſcripſiſſe, cùm in eorum paucitate, qui me à potentißimis inimicis propè oppreſſum tuebantur, eſſes præcipuus, mihi in tot ærumnis, ob id ſolùm vitam optandam videri, vt tã diu poſſem ſpiritum ducere, quoad homines intelligerent, te, cùm apud Summum Pontificem mihi, & fratri meo Ioanni Franciſco Lonati Archipresbytero, viro cùm doctrina, humanitate, iuriſprudentia ornatißimo, tum perpetua vitæ innocentia, & ſingulari probitate prædito fauiſti, eiuſmodi fauiſſe hominibus, qui ſtudio, officijs, & amore tuo minimè eſſent indigni. Quoniam autem in his noſtris calamitatibus nulla mihi ad leuandas moleſtias maior fuit conſolatio, quàm lectio ſacrarum ſcripturarum, & ad mea priſtina bonarum literarum ſtudia, quæ varijs occupatio-

nibus

nibus diſtrictus, nimium diu iam intermiſeram, reditus: veteres meos labores & vigilias repetens, opportunè incidi in lectionem vitæ ſanctiſsimi Patriarchæ Ioſeph, quam à Magno Moſe deſcriptam, & à Philone auctore antiquiſsimo & eloquentiſsimo fuſius explicatam, olim è græca in latinam linguã conuerteram. Cuius ex vitæ lectione, vix queam verbis aſſequi, quantum ſolatij, conſolationiſq́; perceperim. Hanc ego vitam nunc ad te mitto, vt tuorum in me meritorum, & obſeruantiæ erga te meæ ſit monumentum, ex quo & tu ad tuendos homines innocentes quotidie propenſior fias: & qui calumnijs, & iniurijs diuexantur, ſe ſe conſolentur, cùm ex illuſtri huius ſanctiſsimi atque innocentiſsimi viri exemplo perſpiciant, quãuis multæ ſint tribulationes iuſtorum, tamen in hac etiam vita nõnuquam eos ſolitum eſſe Deum, ex illis eripere. Quòd ſi aliter aliquãdo diuinæ ipſius prouidentiæ pla-

ceat, homines tamen pios non debere in deſperationem incidere: ſed potius adorantes ac ſuſpicientes altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & incomprehenſibilia iudicia eius, atque imperueſtigabiles vias ipſius, cum tribus illis pueris pietatis amantiſſimis, Nabuchodonoſor, id eſt, Diabolo, & ſatellitibus eius reſpondere: Poteſt nos Deus de camino ignis ardentis, & de manibus veſtris liberare. Quòd ſi noluerit, nos tamen in noſtra innocentia, & pietate permanebimus, expectantes beatam ſpem, & aduentum Magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo, qui reddet ſingulis iuxta opera ſua. Valè decus meum vnicum, & præſidium ſingulare Venetijs Idibus Aprilis M D LXXIV.

IOSEPHI
PATRIARCHAE
VITA

A PHILONE HEBRAEO

Gracè compoſita:

ET A PETRO FRANCISCO

Zino Canonico Veronenſi in

latinum conuerſa:

In qua optimi viri ciuilis forma deſcribitur.

TRes ſunt rationes, quibus optimus finis conſtituitur, diſciplina, natura, exercitatio, quarum ſingulis Moſes tres item ſapientium vetuſtiſſimos inſignes tradit. Horum vitas, quam eorum quiſq; tum doctrina, tũ ingenio, tũ exercitatione inſtituerit, ſcriptis perſecuti, quartam deinceps ciuilem, qua Patriarcharũ vnum nobilem, à primaque ætate comprobatum idem ſtatuit, explicabimus.

Hic

Hic ſeptimum decimum agens ætatis annum cœpit collaudari, cùm in paſtorale ſtudium & curam incumberet. Quod quidem munus tractandæ Reipub. muneri congruens & affine eſt. Ex quo poetæ, vt arbitror, paſtores populorum, Reges vocare ſolent. Nam qui præſtantiſsimus paſtor eſt, idem Rex optimus eſſe poterit, cùm gubernandi pulcherrimi animalium gregis hominum facultatē in leuiore adminiſtratione didicerit. Quemadmodum enim ei, qui bella geſturus, & exercituũ ductor futurus eſt, venandi artes ſunt maximè neceſſariæ; ſic illi, qui ſit Reip. gubernacula tractaturus, procuratio paſtoralis eſt accommodatiſſima, tanquàm ciuilis, atque imperatorij muneris dux quædam & magiſtra. Egregiam igitur in eo indolem perſpiciens pater, maioremque prudentiam, quàm quæ priuato homini conueniret, admirabatur, &

complectebatur,eumq; magis quàm reliquos filios diligebat, præſertim, quia ſenex eum ſuſceperat, qui non minimus eſt ad excitandam beneuolentiam ſtimulus; & quia ſcitus, atq; elegans erat, ingenium pueri ardentius amabat, eximioque ac ſingulari ſtudio proſequebatur, vt non incenderet ſolùm, verumetiam magis reluceret. Sed inuidia, quæ magnis actionibus ſemper aduerſatur, familiam tunc omnibus partibus rectè conſtitutam inuaſit atque diſiunxit, multosq; fratres aduerſus vnum incitauit, vt beneuolentiæ patris in eũ parem ipſi maleuolentiam conciperent, tantoq; odio proſequerentur, quantus erat amor, quo diligebatur, odium autem non præferebant. Nanque animi morbi, qui cælantur, nec verbis aliquo modo reſpirãt, grauiores fiunt. Candidis ergo ſimplicibusque moribus præditus, & fratrũ animos à ſe eſſe abalienatos igno-

rans,

rãs fauſtũ illis,quod fecerat,ſomniũ, vt amicis enarrat. Tempus, inquiẽs, meſſis adeſſe mihi videbatur, noſq; omnes in agrũ ad fructus colligẽdos profecti ſumptis falcibus metere: meus autem repentè manipulus exci tari, & rectus in ſublime tolli, veſtri verò tanquàm ex conſenſu accurrẽ tes illum admirari, atque omni honore proſequi,& adorare. At illi, qui valebant ingenio, quique per ſimilitudines inueſtigare,coniecturaque aſſequi poterant, quid ea re portenderetur, ne putes, inquiunt, te Regem nobis ac Dominum fore. Hæc enim ſibi falſo opinionis errore ſigni ficari perſuaſerãt. Quapropter odiũ magis accendebatur, & nouam ſemper aliquam incrementi cauſam reperiebat. At ipſe nihil ſuſpicans,paucis poſt diebus, quæ in quiete viderit, prioribus admirabiliora, fratribus exponit. Solem enim, & Lunã, & vndecim Stellas ad ſe adorandum

accedere exiſtimabat. Pater autem viſum admirans, cogitatione cõplectebatur, animoq; condebat, & quid euenturum eſſet, conſiderabat. Grauiter autem, vt æquum erat, nequid erraret, filium reprehendit. Ego ne inquiens, & mater, & fratres tui adorabimus te? Me nanque per Solem vi deris ſubſignificare, matrem autem per Lunam, & fratres per vndecim Stellas. Quod tibi, fili, ne in mentem quidem veniat optare; ſed eorũ quæ vidiſti, memoria obliuione deleatur. Nam, me quidem iudice, dominatum in ſuos ſperare, atque expectare, deteſtabile eſt. Idemque ſentire arbitror, quicunque dant operam, vt æquo & pari iure naturali cũ cæteris viuant. Cauens autem pater, ne qua inter fratres ex æmulatione ſimultas atque diſcordia naſceretur, (ſuccenſebant enim ei, qui viſa retulerat) miſit alios ad paſcendas oues, illum autem, quoad ei viſum eſt cõ-

modũ, retinuit domi. Sciebat enim perturbationum atque ægritudinum animi tempus eſſe medicum dici. Siquidem & dolorem tollit,& iram extinguit, & metum abſtergit. Nihil enim eſt natura tã inſanabile, quod non dies ipſa molliat,ac leniat. Cùm autem in eorum animis maleuolentiæ nihil amplius reſidere conijceret, filium emiſit,tum vt fratres ſalutaret, tum etiã vt ad ſe referret, quomodò, & ipſi & ouium greges haberent. Hoc iter magnorum cùm malorum, tum etiam bonorum principium, prę ter ipſorum ſpem,erat futurum.Nam ille quidem patris mandato parens proficiſcebatur; ipſi verò procul aduenientem conſpicati nihil inter ſe fauſtum colloquebãtur. Quandò ne nomine quidem ipſum ſuo appellare dignati ſunt,ſed ſomniorum cõiectorem & inſpectorem, atque alijs eiuſmodi vocibus nominarunt, coq; iracundia prouecti ſunt, vt ſi non

omnes, plerique tamen de cęde ipſius cogitarent, ac ne deprehenderentur, ſublatum in ciſternam deijcere decreuerunt. Multæ autem in illis locis ad excipiendos imbres ciſternę ſunt: nec multum abfuit, quin ſe maximo fraternæ cędis ſcelere coinquinarent. Ab ea nanque ſententia fratris natu maximi conſilio vix deducti ſunt. Admonebat enim, ne facinus admitterent, ſed in vnam ex illis ciſternis tantùm proijcerent. Etenim de ſalute ipſius cogitabat, vt cùm diſceſſiſſent, ipſum educeret, ab omnique malo liberum, & incolumem ad patrem mitteret. Hac ſententia comprobata, ipſum ad ſe accedentem ac ſalutantem, vt inimicum corripiunt, omnia veſtimenta detrahunt, eaque, cùm in profundas foſſas ipſum detruſiſſent, edino ſanguine conſperſa ad patrem mittunt, vt eo ſigno filium à feris dilaniatum intelligeret.

Forte fortuna mercatores quidam Arabes illo die iter faciebant illac, merces in Aegyptum conuehentes, quibus extractum fratrem vendiderunt, fratris, qui quarto loco natus fuerat, ſententiam ſecuti. Is enim, vt mihi videtur, veritus, ne quando ab ipſis implacabili ira excandeſcentibus dolo necaretur, conſuluit, vt venderetur, grauiore pœna in leuiorem, hoc eſt, morte in ſeruitutem cōmutata. Reuerſus frater natu maximus, neq; enim venditioni interfuerat, cùm deſpexiſſet, nec quem paulò ante reliquerat, intueretur, clamare, vociferari, veſtem conſcindere, ſurſum ac deorſum tanquàm inſanus ferri, manus complodere, capillumque conuellere. Quid, inquiens, factum eſt fratre? dicite, viuitne, an mortuus eſt? ſi non viuit amplius, defunctum oſtendite, vt cadaueri illacrymans dolorem mitigē, ſi iacentem videro, me conſolabor.

Quid etiam mortuo ſuccenſemus? aduerſus eos, qui è medio ſublati ſunt, non viget odium. Sin viuit, quónam terrarum abijt? apud quos cuſtoditur? Neque enim ego, quē-admodam ille ſuſpectus ſum, vt mihi fides haberi non debeat. Reſpondentibus autem venditum eſſe, atq; oſtendentibus pretium, egregiam, inquit, mercaturam feciſtis. Diuidamus prædam. Accipiamus coronam, quòd cum latronibus de ſceleris magnitudine contenderimus. Gloriemur, quòd crudelitate à nobis victi ſint. In alienos illi coniurant, nos in coniunctiſſimos atque chariſſimos. Magnum patratum eſt flagitium, inſigne dedecus admiſſum eſt. Patres noſtri documenta probitatis vbique gentium reliquerunt. Nos perfidię atque inhumanitatis perditæ monumenta relinquemus. Vagatur enim vbique facinorum fama, cum admiratione & gloria, ſi bona ſint: cum

Forte fortuna mercatores quidam Arabes illo die iter faciebant illac, merces in AEgyptum conuehentes, quibus extractum fratrem vendiderunt, fratris, qui quarto loco natus fuerat, ſententiam ſecuti. Is enim, vt mihi videtur, veritus, ne quando ab ipſis implacabili ira excandeſcentibus dolo necaretur, conſuluit, vt venderetur, grauiore pœna in leuiorem, hoc eſt, morte in ſeruitutem cõmutata. Reuerſus frater natu maximus, neq; enim venditioni interfuerat, cùm deſpexiſſet, nec quem paulò ante reliquerat, intueretur, clamare, vociferari, veſtem conſcindere, ſurſum ac deorſum tanquàm in- inſanus ferri, manus complodere, capillumque conuellere. Quid, inquiens, factum eſt fratre? dicite, viuitne, an mortuus eſt? ſi non viuit amplius, defunctum oſtendite, vt cadaueri illacrymans dolorem mitigẽ, ſi iacentem videro, me conſolabor.

Quid etiam mortuo ſuccenſemus? aduerſus eos, qui è medio ſublati ſunt, non viget odium. Sin viuit, quónam terrarum abijt? apud quos cuſtoditur? Neque enim ego, quẽadmodam ille ſuſpectus ſum, vt mihi fides haberi non debeat. Reſpondentibus autem venditum eſſe, atq; oſtendentibus pretium, egregiam, inquit, mercaturam feciſtis. Diuidamus prædam. Accipiamus coronam, quòd cum latronibus de ſceleris magnitudine contenderimus. Gloriemur, quòd crudelitate à nobis victi ſint. In alienos illi coniurant, nos in coniunctiſſimos atque chariſſimos. Magnum patratum eſt flagitium, inſigne dedecus admiſſum eſt. Patres noſtri documenta probitatis vbique gentium reliquerunt. Nos perfidię atque inhumanitatis perditæ monumenta relinquemus. Vagatur enim vbique facinorum fama, cum admiratione & gloria, ſi bona ſint: cum

vituperatione, ac dedecore, ſi mala. Quo nã pacto pater huiuſce rei nuntium accipiet? Homini beatiſſimo, ac feliciſſimo vitam, quantum ad vos pertinet, acerbiſſimam redditis. Eiusne vicem ob ſeruitutem deplorabit, an noſtram propter immanitatem? noſtram nimirum magis. Quandoquidem iniuriam facere, quàm accipere grauius eſt. Hoc duobus maximis ſolatijs fulcitur miſericordia & ſpe, quibus illud vtriſque carens omnium ſentẽtijs condemnatur. Sed quid ego hæc lamentor, & clamo, cùm ſilere ſatius ſit, ne mihi quoque aliquid contingat, quod nolim? Aſperrima enim maximeque implacabilis veſtra eſt iracundia, ſpiratque adhuc perſpicua in vnoquoque veſtrum indignatio. Iam vbi pater audiuit, non id, quod res erat, filium fuiſſe venditum, ſed quod mendacio confictum fuerat, à feris dilaniatum occidiſſe, aureſque ijs,

quæ nuntiabantur, percuſſæ ſunt, atque oculi ſpectaculo, quod proponebatur: veſtis enim lacerata, & conſciſa, multoque ſanguine conſperſa fuerat allata: dolore turbatus diu mutus atque exanimis iacuit, vt caput tollere, calamitate afflictus, oppreſſusque non poſſet. Tum repente, tanquàm lacrymarũ fontem emittens, acerbo cum gemito genas, & mentum, & pectus, & veſtimenta proluit, atque ita locutus eſt: Non mors excruciat me, fili, ſed tumulus. Si in patria tua ſepultus eſſes, me conſolarer. Curaſſem enim te, ægrotanti aſtitiſſem, prius morienti extremos complexus, oſculaque dediſſem, clauſiſſem oculos, illacrymaſſem, iuſta cumulatè ſoluiſſem, nullum officij munus prætermiſiſſem: ſi in aliena deceſiſſes, cùm natura quod ſibi debetur, accepiſſet, dixiſſem: Heus tu, triſtitiam depone, patria ad viuos pertinet, de-

functis quævis terra ſepulchrum eſt. Celerrimè moriuntur omnes homines. Longiſſima cuiuſq; vita, ſi cum æternitate comparetur, breuiſſima eſt. Quòd ſi per vim atque inſidias tibi moriendum fuit, manibus hominum ſaltem interijſſes; id enim mihi leuius eſſet malum. Etenim illi ipſi qui interfeciſſent, miſericordia cõmoti mortuo puluerem inijci, & cadauer affici ſepultura permiſiſſent. Quòd ſi fuiſſent omnium crudeliſſimi, quid amplius potuiſſent efficere, quàm vt inſepultum proijcientes abirent? At in via fortè prætereuntium aliquis conſiſtens, & ſpectans, cõmunemq; naturam miſeratus ſepeliendi curam ſuſcepiſſet. Nunc autem, vt audio, ſæuis, atque immanibus feris conuiuium & epulum factus es, quæ te, mea viſcera, deguſtarunt, ac deuorarunt. Repentina mihi tanquàm athletæ, nec opinata certamina proponuntur. Fruſtra tã

multas calamitates expertus ſum, dũ me neceſſitas captiuum, extorrem, mercenarium eſſe cõpulit. Dum inſidijs cum ſummo vitæ periculo petitus ſum, à quibus minimè oportebat. Ac multa quidem vidi, multa audiui, plurima ipſe nõ ferenda perpeſſus ſum, quibus ad tolerantiam eruditus non ſuccubui, nec fractus ſum. Sed hoc caſu nihil intolerabilius, quo vires animi debilitatę conciderunt. Quæ nanque maior, aut magis commiſeranda calamitas eſſe poteſt? Hæc filij veſtis mihi delata eſt patri: filij verò nulla pârs, nullum membrum, nullæ ſuperſunt reliquię: totus omnino confectus, ac deuoratus eſt, nec aſſequi potuit ſepulturam. Hæc autem ad me non alia prorſus de cauſa videtur miſſa, niſi vt doloris monumentum eſſet, & eorum, quæ filius inaudita ſuſtinuit, mihi memoriam renouaret ad perpetuam miſeriam ac ſempiternam. Atque il-

le quidem eiuſmodi verbis calamitatem ſuam deplorabat. Mercatores autem in Aegypto puerum vendunt cuidam ex regis Eunuchis Coquorum principi. Operæpretium eſt autem, vt poſt narrationem, ea, quæ ad vitam, moresque pertinent, explicemus. Omnia enim, aut certè plurima, quæ in legislatione continentur, allegorijs referta ſunt. Qui igitur mos cenſetur, apud Hebręos quidem Ioſeph, apud Græcos autem Domini additio vocatur. Quod rei expoſitæ aptiſſimè quadrat, & congruit. Etenim cùm natura omnium ab auctoritate pendeat, adminiſtrandæ Reipub. ratio, quæ apud populos adhibetur, additio eſt. Magna enim ciuitas hic orbis eſt, vnaque gubernandi ratione vtitur, atque vna lege. Eſt autem naturæ ratio efficiens ea, quæ facienda ſunt, à contrarijsque deterrens. Quę verò per loca conſtitutæ ſunt ciuita-

tes, nec numero comprehendi queunt, & varijs adminiſtrandi rationibus ac legibus vtuntur. Nam apud alias alij vigent mores atque inſtituta, quæ ſibi ſingulæ excogitarunt, atque addiderunt. Huius autem rei ea cauſa eſt, quòd ſeparati ſunt, nec vitæ ſocietate, aut communitate coniuncti non ſolùm Græci cum Barbaris, aut Barbari cùm Gręcis, ſed ne alterutri quidem inter ſe. Ex quo fit vt accuſent ea, quæ culpa vacant, improuiſas tempeſtates, frugum inopiam, agrorum ſterilitatem, ſitum, quòd vel maritimus ſit, vel mediterraneus, vel in inſula, aut continenti, & alia eiuſdem generis, cùm veram cauſam ſileant, nempè auaritiam, mutuamque perfidiam, quibus ab inſita naturæ lege recedentes, ea, quæ communiter ſibi, idemque ſentientibus viſa ſunt expedire, leges appellauerunt. Quare ſingulares adminiſtrandæ Reip.

rationes meritò vnius illius naturalis appendices dicendæ ſunt. Nam ſingularum ciuitatum leges ſunt rectæ naturæ rationis additamenta. Et homo ciuilis eandem rationem habet cum illo, qui ex naturæ præſcripto viuit. Nec à propoſito alienum eſt, quòd tunicam variam dicitur accipere. Res enim varia & multiplex eſt Reipub. adminiſtratio, innumerabilesq; ex perſonis, negotijs, cauſis priuatis hoſpitijs, temporum, locorumque differentijs mutationes ſuſcipit. Ac quemadmodum gubernator, vt proſperè nauiget, non vno tantùm modo nauem impellit, & dirigit, ſed pro ratione ventorum velificationem mutat. Medicus item non eodem pacto curat ægrotos omnes, immò verò, ne vnum quidem, ſi morbus inconſtans ſit, ſed remiſſiones, incrementa, repletiones, exinanitiones, cauſarum mutationes cõſiderans, omnia ad curationẽ accõ

modat,& modò hoc,modò illud adhibet medicamentum: ſic Rempub. capeſſentem neceſſariò variũ ac multiplicem eſſe arbitror, vt alius in pace ſit, alius in bello, alius ſi pauci, alius ſi multi ſibi aduerſentur: paucis conſtanter reſiſtat, atque occurrat, oratione blanda multitudinem conciliet & alloquatur. Vbi periculum adeſt, ei ſe vltrò communis vtilitatis cauſa in primis offerat. Vbi requiritur labor, & officium, prompto animo alijs inſeruiat. Nam quòd homo dicitur vendi, nonne qui popularem ſe profitetur, & è ſuggeſtu concionem alloquitur, vt quæ veneunt mancipia, propter honores, quos videtur accipere, è libero innumerabilium dominorum ſeruus efficitur? Quòd autem à fera captus introducitur, quæ ĩmanior fera, quàm inanis gloriæ cupiditas, quæ inſidias ſtruit, corripit, correptoſque necat, ac perdit? Porrò qui coemerunt, etiã

vendunt. Nam qui gerit Rempub. non vnum, ſed multos dominos habet; qui ſibi alius poſt alium viciſſim ſuccedunt. Qui autem ſæpius venduntur, malorum ſeruorum more dominos mutant, cùm propter ingenij inæqualitatem, rerumque nouarum ſtudium ſtabiles eſſe non poſſint. Ac de his quidem hactenus. Adoleſcens in Aegyptum ductus, & apud Eunuchum dominum, vt dictum eſt, manens, tale paucis diebus probitatis & ingenui animi ſpecimen dedit, vt alijs ſeruis præfectus ſit, & totius domus procurationem acceperit. Herus enim nihil eum ſine diuina prudentia, aut dicere, aut facere multis iam coniecturis animaduerterat. Videbatur ille quidem ab hero procurator domus conſtitutus, ſed reuera id egerat ipſa natura, quæ ciuitatum ei, & gentis, & magnæ regionis imperium ambiebat. Oportebat enim, vt ad Rem-

publicam acceſſurus, in rebus domeſticis adminiſtrandis erudiretur prius, atque exerceretur. Nam vt ciuitas eſt magna domus, & Reſpubublica communis res familiaris; ſic domus eſt anguſta, paruaque ciuitas, & res familiaris eſt contracta Reſpub. Quamobrem conſtat eundem eſſe rei familiaris, & Reipub. adminiſtratorem, licet hæc, quæ illi, vt tractet, & in quibus verſetur, ſubiecta ſunt, inter ſe multitudine, ac magnitudine diſcrepent, vt in pingendi, fingẽdique arte perſpici poteſt. Bonus enim ſtatuarius, aut pictor, ſiue multa, & mirandæ magnitudinis opera, ſiue pauca, minutaque conficiat, eandem oſtentat artem, & idem ipſe eſt. Sed is, qui in domus cuſtodia valde probabatur, ab heri coniuge impudici amoris inſidijs petitur. Hæc enim cũ adoleſcentem pulchritudine capta deperiret, & effrenis in furias,

& rabiem ageretur, ipſum, aduerſantem, & qui eam ob innatum pudorem atque modeſtiam ne adire quidem audebat omnino, ſermonibus amatorijs, vt ſecum commiſceretur, interpellauit. Cumque inhoneſta cupiditate magis, ac magis inflammaretur, & conflagraret, fruſtraque tentanti nihil è ſententia ſuccederet, ad vim ſeſe conuertit, adoleſcentemq; veſte correptum ad lectulum vſque fortiter trahit, robuſtior effecta, quòd cupiditas, quæ imbecilliores etiam firmat, ac roborat, vires ei ſubminiſtraret. At ille præſenti difficultate ſuperior, has libero, atque ingenuo homine dignas emiſit voces. Quid inquiens, mihi vim affers? Nos Hebræorum filij ſingularibus inſtitutis, ac legibus vtimur. Reliquis, vbi quartumdecimū ætatis annum expleuerint, impunè licet, cum ſcortis, & meretricibus, & omnibus, quæ corpore quæſtum faciunt,

ciunt, ſe ſe coniungere. Apud nos autem & cum meretrice viuere nefas eſt,& quæ pudicitiam proſtituit, morte mulctatur. Ante legitimam cum vxore coniunctionem cum alia fœmina conſuetudinem non habemus, ſed celebratis nuptijs caſti ad virgines caſtas accedimus, nec voluptatẽ nobis, ſed legitimam liberorum procreationem proponimus. Quocirca cùm ad hanc vſque diem me purum, integrumq; ſeruarim, nõ cõmittam, vt leges violare incipiã à grauiſſimo flagitiorũ omnium adulterio. Quòd ſi ante hac intemperanter vixiſſem, aut adoleſcentiæ feruore victus, autẽ regionis delicias imitatus, alienum tamen non deberem thalamum coinquinare. Quod quidem ſcelus quis hominum capitale non putat? Etenim quum alijs in rebus ſoleant inter ſe homines diſſentire, in hac ſola conſentiunt, vt vbique omnes millies morte dignam exiſtiment,

indictaq; cauſa deprehenſos capientibus dedant. Tu verò indulgentior tertium etiam facinus addis, quæ iubes non ſolùm vt committam adulterium, ſed dominam, & domini vxorem violem. Niſi fortè in veſtram domum iccircò veni, vt omiſſis officijs, quæ ſeruum exequi conuenit, vino me obruam, ebriusque ſpem illius, à quo emptus ſum, fallam, & connubium, familiam, & genus ipſius contaminem, præſertim cùm illum iam, non vt dominum ſolùm, ſed vt de me benemeritũ obſeruare debeam, qui mihi, nulla prorſus excepta, nec magna, nec parua, res ſuas omnes domeſticas, prȩter tè vxorem, cõ miſit, ac tradidit. Pro quibus ego ſi quemadmodum mones, ipſum remunerabo, egregiam ſcilicet & acceptis beneficijs dignam gratiam referam. Ille me dominus captiuũ, & peregrinũ, quod in ipſo quidem fuit liberum, ciuemque reddidit. Ego autem ſer-

uus domino, vt peregrino, ſeruoq́; illudam? Quonam animo nefarium ſcelus admittam? Qua fronte illum ferreus intuebor? Conſcientia enim premens rectis oculis nō ſinet aſpicere. Etiam ſi celatum iri me ſperem, non celabor tamen. Innumerabiles enim ſunt, eorum, quæ occultè fiūt, exploratores, qui tacere nō poſſunt. Quòd ſi nemo alius id reſciret, aut reſciens efferret, egomet tum colore, tum vultu, tum voce, ab ipſa, vt paulò antè dixi, conſcientia reprehenſus me ipſum indicarem. Sed eſto vt nullus id proferat, nonne iuſtitiā, quæ Deo proxima ſedet, & omnia cō tuetur, metuimus, ac veremur? Talia ille multa colligebat, ac philoſophabatur: at illa obſurduerat. Libido enim acutiores etiam ſenſus obtuſos efficit. Quod ipſe animaduertens, relictis veſtimentis in eius manibus quibus tenebatur, aufugit. Ex quo mulier optatā occaſionem arripuit,

qua adoleſcentem vlciſceretur. E foro enim redeunti viro continentem ſe,& caſtam,ab impudicisque rebus abhorrẽtem ſimulans, Seruũ,inquit, Hebræum nobis adduxiſti, qui non modò iam animum tuum corrupit, cùm ei tam temerè inconſiderateq; domum cõmiſiſti, verùm etiam corpus meum fœdare conatus eſt. Neq; enim nequiſſimo, ac libidinoſiſſimo vitiaſſe conſeruas ſatis fuit, niſi dominæ pudicitiam attentaret, mihiq; vitium conaretur offerre. Cuius furoris ecce tibi perſpicua manifeſtaq; indicia. Etenim cùm vim eſſet allaturus, egoque exclamans eorum, qui intus erant, auxilium implorasſem, ipſe re improuiſa conterritus, veritusque ne comprehenderetur, veſtem reliquit, ſeque in pedes, ac fugam dedit. Hanc igitur oſtendens, eo veluti teſtimonio crimina comprobabat. Quæ quidem dominus vera iudicans in carce

rem

rem conijci hominem iubet, duplici ſe obſtringens peccato grauiſſimo; vno, quòd non facta reo ſe defendendi poteſtate, innocentem, indicta cauſa, tanquam nocentiſſimum condemnauit: altero, quòd veſtis, quā mulier vt ab adoleſcente relictam circunferebat, ſignum erat vis, quam nō attuliſſet fœminæ, ſed ſibi ab ea allatam effugiſſet. Nam vt vim attuliſſe coargui poſſet, ſi veſtem dominæ retinuiſſet, ſic eam declinaſſe perſpicuum ex eo ſit, quòd propriam ſibi detractam reliquit. Sed magna hominis imperitia fortè poteſt excuſari, quippè, qui ſanguine, fumo, cinere oppletus in coquina vitam tranſigeret, vt rationis tempus in ſe quieſcens expectare non poſſet, cui non minus, quàm corpus, animus ipſe ſordeſceret. Tres iam ciuilis hominis formas expreſſimus, paſtoralem, domeſticam, & in modeſtia, ac tolerantia conſtitutam.

Ac de duabus quidem prioribus di-
ctum eſt. Tertia autem non minus,
quàm illæ, Reipub. conuenit. Et-
enim cum temperantia in omni vita
conducat, præcipuè tamen, vt faci-
lè cuiuis, ac promptum eſt intellige-
re, vtilis, & ſalutaris eſt ciuitatibus.
Quis enim calamitates ignorat, quæ
terra, marique, gentibus, regioni-
bus, & omnibus orbis partibus ex in
temperantia contigerunt? Ex bellis
enim plurima, & maxima propter
amores, & adulteria, & fœminarũ
dolos geſta ſunt, quibus ampliſſima
atque optima tam Græcorum, quàm
Barbarorum pars euerſa eſt, & flos
ciuitatum concidit. Quapropter ſi
ex incontinentia, atque intempe-
rantia ſeditiones, inteſtina bella,
aliaque innumerabilia mala profi-
ciſcuntur, non eſt dubium, quin ex
continentia, temperantiaque con-
ſurgat optimus Reipub. ſtatus, & pax
& perfectorum bonorum fructus, &

copia. Quæ cùm ita ſint, non alienũ erit, vt quæ per hæc ſignificantur, ordine declaremus. Qui damnatum emit, eunuchus meritò dicitur. Nã populus, qui ciuilem hominem mercatur, verè eſt eunuchus, cùm membra ad gignendum apta habere videatur, ſed gignendi careat facultate: non ſecus, atque illi, qui cæci ſunt, cùm oculos habeant, oculorũ tamen munere fungi, atque intueri non poſſunt. Quæ igitur eſt Eunuchi cũ populo ſimilitudo? Ea nimirũ quòd cùm ſapientiæ ſit expers, virtutis tamen ſtudioſus videtur. Quãdo enim omnium ordinum multitudo vnum in locum conuenit, æqua, honeſtaque loquitur, ſed contraria ſentit, & facit, pro veris germaniſq; adulterina & falſa ſuſcipiens. Quoniam opinionis errore victa non curat ea, quæ verè honeſta ſunt. Quapropter Eunuchus iſte, quod abſurdiſſimum eſt, vxorem etiam habet.

Nam vt maritus coniugem, ſic popu lus cupiditatem amplectitur, eiuſq; cauſa cuncta dicit, & agit. Cum illa dicenda, tacenda, magna, paruaque communicat; ea verò, quæ dictat ratio, minimè ſolet attendere. Iam, quòd princeps coquorum ſit, ſanè quàm appoſitũ eſt. Quemadmodũ enim coquus non niſi immoderatas, & ſuperuacaneas ventris voluptates curat: ſic etiam populus aurium oblectationes, & delicias aucupatur, quibus mẽtis robur frangitur, & ani mi nerui quodammodò ſoluuntur. Quis autem ignorat, quid inter medicos & coquos interſit? Illi, quæ ſalubria ſunt, licèt ſuauia nõ ſint, omni ſtudio parant: Hi contra neglectis vtilibus iucunda curant. Medicorum in populo ſimiles ſunt leges, quique ex legum præceptis præſunt integri Senatores, & Iudices, & ad communem ſalutem, atque vtilitatem omnes ſuas curas, cogitatio-

nesque referunt: Coquorum autem frequentes Iuniorum cõgreſſus,quibus curæ eſt,non quod ipſis expediat, ſed quod præſentem afferat voluptatem. Sed cupiditas, tanquàm laſciua fęmina, ciuilis hominis amore capta ſic eum alloquitur: Heus tu, quo tecum conſuetudinem habeam, cùm populum adis, mores tuos, inſtituta, ſermones, actiones, in quibus enutritus es, obliuiſcere, mihi obtempera, me obſerua, fac omnia, quæ mihi voluptati eſſe iudicas. Eos enim, qui acerbos, conſtantes, veritatis ſtudioſos, iuſtitiæque amantes ſe præbent, quique ſuperbia, & grauitate in omnibus vtuntur actionibus, qui nemini vlla in re cedunt, qui vtilitati tantummodò ſemper conſulunt, nec auditorum auribus ſeruiunt, non fero. Quamobrem innumerabilia in te crimina apud maritum meum, dominum tuum, conijciam.

Ad hanc diem te, cùm ſeruus ſis, vt liberum, dominique tyrannum geſſiſti, nec dominum prorſus mihi videris agnoſcere. Nam, ſi meminiſſes, non eſſe ſerui, ſed liberi, pro arbitratu ſuo agere, quæ quiſque velit, didiciſſes depoſita pertinacia, me domini tui coniugem cupiditatem ſuſpicere, & obſeruare, atque omnia facere, quæ mihi grata, iucundaque eſſent, & quibus maximè probari poſſes. Hæc illa. At qui verè ciuis eſt bonus non ignorat ſummam populum habere poteſtatem, neque ſe tamen ſeruum, ſed liberum profitetur. Itaque quid animo ſentiat, explicans, ſic reſpondebit: Ego populum fallere nec didici vnquam, nec ſtudui. Reipub. gubernacula, adminiſtrationemque ſuſcepi, in hac me integrè, ſyncereque, ſine ſimulatione, cui ſum inimicus, vt bonum procuratorẽ, & beneuolũ patrem pręſtabo. Quamobrẽ, cùm ita animo affe-

ctus ſim, nõ verebor explicare, quod ſentio, nec occultabo quicquam, vt fures ſolent, ſed animi ſenſum exponam, tanquàm in Sole, & luce. Lux enim eſt veritas. Nihil eorum, quæ mihi ad terrorem proponuntur, formidabo, licèt mors etiam ſit oppetenda. Malum enim morte grauius ſimulationem exiſtimo, quam effugiendæ mortis gratia nunquam ſubibo. Quod ſi populus eſt dominus, nõ iccircò ſum ego ſeruus, cũ patria nobilis ſim, vt ſi quis alius. Ampliſſimæ enim, atq; optimæ huiuſce mũdi Reipub. me ciuem numerari volo. Etenim cũ me nec munera moueant, nec ſuaſiones, nec dignitatum amor, nec imperij ſtudium, nec arrogantia, nec gloriæ deſiderium, nec libido, nec ignauia, nec iniuſtitia, nec quicquam aliud, quod vlli perturbationi aut vitio ſubiectum ſit, cuius dominationem extimeſcam? At hi ſe corporis tui dominos affirmant. Id nihil

ad me. Ego enim ex mente, quæ in me præſtantior eſt pars, pendeo, ad cuius normam vitam agere conſtitui, parui faciens mortale corpus, quod mihi tanquàm conchilio adnatum, atque circundatum, ſi diuexetur,& qui intus ſunt, domini, dominæque difficiles, diſſoluantur, nõ feram iniquo animo, me neceſſitatem grauiſſimam euaſiſſe. Proinde, ſi dicendum eſt ius, id faciam, neq; diuiti fauens, opibus ipſius allectus, nec pauperi, miſericordia motus propter eius calamitatem, ſed oculos ad reorum dignitatem, atque habitum occludens, ſine fraude, quod iuſtum videbitur, pronuntiabo. In deliberationibus proponam, quæ Reipublicæ conducent, licèt minus afferant voluptatis. Si concionabor, aſſentationes alijs relinquens, ſalutari,atque vtili vtar oratione,increpans, monens, caſtigans,adhibita non furioſa, & præci-

piti obſtinatione, ſed modeſta, ac ſobria dicendi libertate. Si quis autem melioribus conſilijs offenditur, is parentibus etiam ſuccenſeat, & magiſtris, & tutoribus, & cunctis curatoribus, quoniam & liberos, & diſcipulos, & pupillos reprehendunt, & nonnunquàm etiam verberant, quos impium eſt maledictis vexare, & cõtumelijs afficere, pium verò omni amoris, & beneuolentiæ ſignificatione colere, atque obſeruare. Turpe enim eſſet, me ciuem, cui Reip. procuratio mandata eſt, cùm de ipſius commodis agitur, deteriorem eſſe illis hominibus, qui medicam artem profitentur. Si quidem hi nec fortunarum ſplendorem, nec generis nobilitatem, nec diuitiarum copias conſiderant in ægrotante, nec quòd ſit omnium illius temporis Regum, aut Principum glorioſiſſimus, ſed illud ſolum totis viribus curant, vt morbum expellant.

Quòd ſi res ferrum, aut ignem poſtulet Principem, & Dominum, ſubditus & ſeruus incidere, atque vrere non veretur. Ego verò qui non vnũ hominem curandum ſuſcepi, ſed ciuitatem vniuerſam grauiſſimis laborantem morbis, quos inſitæ cupiditates inuexerunt, quid nam faciam? Omiſſisne medicamentis, quæ cunctis communiter proſint, huius aut illius aures illiberali, planeque ſeruili adulatione demulcebo? Mortem potius oppetam, quàm ad voluptatem aliquid loquar, verum occultãs & quod expedit negligens. Ad hæc tragicus ille. Afferte, inquiet, ignẽ, afferte gladiũ, cõcidite atq; cõburite carnes iſtius. Tu verò ſitim exple, me umque ſanguinem nigrum bibe. Citius enim aſtra ſubſident inferius terra, terraque ſuper aſtra feretur ſublimis, quàm à me tibi aſſentationis poculum miſceatur. Tam præſtanti igitur animo præditum, voluptate, me-

tu,dolore, cupiditate, omnibus denique perturbationibus vacuum ciuem populus, qui Dominus eſt, ferre non poteſt. Itaque comprehenſum tanquàm aduerſariũ punit,dũq; putat inimicũ vlciſci,maximo omniũ ſe ipſe ſupplicio afficit, quoniam in errore, atque ignorantia relictus nõ emendatur, nec imperio parere diſcit, quod honeſtiſſimum,& fructuoſiſſimum eſt, imperandique peritiã parit. Verùm cum, & de his ſatis iã dixerimus, ea, quæ ſunt conſecuta, videamus. Accuſatus igitur adoleſcens apud dominum ab amatrice fę mina, confingente in eum crimina, quibus ipſa tenebatur, nec vlla defendendi data poteſtate, in carcerẽ adducitur. Vbi tantam virtutis magnitudinem præſetulit, vt qui illic erant incluſi,homines ſceleſtiſſimi eum ſuſpicientes, & admirantes, calamitatum ſubleuatorem, liberatoremque ſe crederent inueniſſe: Quanta autẽ

inhumanitate, ſæuitiaq; referti ſint carcerum cuſtodes, quis eſt, qui neſciat? Etenim, cum naturam immitem habeant, eam exercitatione quotidie magis efferatam, & crudelem efficiunt, quippè qui nihil benignũ, aut manſuetum, ſed omnia violenta, acerbaque videant, loquantur, & faciant. Quemadmodum enim qui bene compactis ac firmis corporibus ſunt, ſi artis etiam adiunxerint adiumenta, vim, ac firmitatem illam ita corroborant, vt ei reſiſti non poſſit. ſic qui natura immani, ac feris moribus eſt, ſi feritatem illam exercitatione cumularit, bifariam excludit miſericordiam, quæ vna affectio ab animo benigno, manſuetoque prouenit. Ac quemadmodum, qui cum bonis, probatisque viris verſantur; moribus & vita meliores fiunt, ſi eorum conſuetudine delectantur; ita qui cum improbis, & ſceleratis hominibus vitam agunt, flagitia & vitia

illorum imitantur:conſuetudo enim ad naturæ ſimilitudinem impellit. Verſantur autem carcerum cuſtodes cum craſſatoribus, furibus, effractoribus, maledicis, virginum violatoribus, ſacrilegis, adulteris, quorum è ſingulis aliquid nequitiæ contrahunt & mutuantur, ex eaque colluuie commixtam, & omnibus partibus abſolutam improbitatem conficiunt. Ille carceris cuſtos erat eiuſmodi, ſed adoleſcentis tamen probitate mitigatus, nonmodò omni eum metu, & cura ſolutum, & liberum eſſe voluit, verùm etiam imperij in eos qui in cuſtodia vincti ſeruabantur, ita participem fecit, vt nomine dumtaxat ad ſpeciem eſſet cuſtos carceris, re autem vera adoleſcentis arbitrio cuncta committeret. Ex quo multa perueniebant commoda ad eos, qui in carcerem conijciebantur. Itaque locum illum non carcerem amplius, ſed modeſtiæ,

& temperantiæ cuſtodiam appellandum exiſtimabant. Tormentorum enim & cruciatuum loco, quibus vapulantes, vinculis conſtricti, & nihil nõ mali perpetientes afficiuntur, philoſophiæ monitis, atque præceptis, & quæ omni oratione ſunt potiores, ipſius doctoris actionibus inſtituebantur. Vitam enim ſuam tanquàm fabrefactum continentiæ, & virtutum omnium exemplar proponens, homines etiam planè perditos ac deſperatos, ad reſipiſcendum excitabat, quos improbantes ea, quę commiſerant, pœnitebat. A diuturnis autem animi morbis recreati loquebantur in hunc modum: Vbinam olim latuit tantum bonum, quo initiò caruimus? Ecce enim ipſo elucente, tanquam in ſpeculo deformitatẽ noſtrã intuentes erubeſcebamus. Dũ igitur hoc illi modo meliores fiunt; adducũtur duo Regis eunuchi, alter pincernarum, alter piſtorũ magiſter,

quorum vterque, quòd in ſuo mune re deliquiſſet, accuſatus, damnatusq́; fuerat. Hos ille non minus, quàm cęteros curabat, optans, vt qui ſibi cõmittebantur, quantum efficere poterat, tales redderentur, vt innocentibus nihilo deteriores eſſent. Verùm cùm eos, qui in carcere erant, non multò poſt inuiſeret, eunuchos cogitabundos, & ſolito triſtiores deprehendit, cumque ex magna ipſorum mœſtitia conijceret, eis noui quippiam accidiſſe, percontatus eſt triſtitiæ cauſam. Reſpondentibus autem ſe ſomnia vidiſſe, eoque mœſtos ac ſollicitos eſſe, quòd illorum interpretem non haberent: Bono, inquit, animo eſte, & ſomnia enarrate: fient enim volente Deo perſpicua. Vult autem, vt quæ ſunt obſcura, & tenebris inuoluta, veritatis amantibus aperiantur & pateant. Tum pincernarũ magiſter prior: Videbar, inquit videre magnam vitem, cuius è pul-

cherrima ſtirpe tres propagines enaſcebantur: hæc cùm floruiſſet, racemos, tanquàm autumnus ipſe vigeret, producebat; ego verò matureſcente vua racemos carpebam, & in regium calicem exprimebam, eumq́; mero commodè plenum offerebam Regi. Ad hæc ille pauliſper cunctatus: Fauſta, inquit, viſum denuntiat, teque in priſtinum dignitatis gradũ reſtitutum iri. Tres nanque vitis propagines tres ſignificant dies, quibus tranſactis Rex tui recordabitur, atq; hinc educto veniam dabit. Itaque muneri atq; ordini reſtitutus & confirmatus pocula Domino miſcebis, ac miniſtrabis. His ille auditis lætabatur. Tum magiſter piſtorum interpretationem admiratus, tanquàm ipſe quoque fortunatum ſomnium inſpexiſſet, quod tamen non mediocriter infauſtum erat, bona deceptus alterius ſpe: At ego, inquit, videbar tria caniſtra bellariorum capiti im-

poſita geſtare, quorũ ſummũ omne genus eorum, quibus Rex veſcitur, cõtinebat. Erant autem cibaria pro victu regio variè ac diligenter elaborata, ſed volucres aduolantes è capite rapiebant, nec prius edere, atque explere ſe deſiſtebant, quàm omnia conſumerentur, & eorum, quæ tam bene inſtructa erant, nullæ reliquiæ ſupereſſent. Ad hęc ille: Vellem, inquit, iſtud tibi viſum non contigiſſe, aut te illud ſilentio inuoluiſſe, aut certè ſi quis narraret, me tam procul abſuiſſe, vt aures meæ narrationem exaudire non poſſent. Mala enim inuitus prænuntio. Quoniam me cogit humanitas, vt ex aliorum calamitatibus non minus ipſe moleſtiæ dolorisque percipiã, quàm illi ipſi, qui in eis verſantur. Verùm quia ſomniorum interpretes eſſe veridicos oportet, cùm diuina reſponſa explicent, atque declarent, nihil diſſimulans, dicam.

Nam cùm omnibus in rebus mendacium fugere optimũ eſt, tùm in oraculis maximè pium. Tria caniſtra, trium dierũ ſignificationem habent, quibus præteritis te ſuſpendi iubebit Rex, & obtruncari, volucres aũt aduolantes comedent carnes tuas, quoad totus abſumaris. His ille con fuſus, vt veriſimile eſt, refugit, animoque excruciatus præfinitum reſponſi diem expectauit. Cùm igitur tres dies pertranſiſſent, illuxit dies natalis Regis, quem diẽ omnis regionis populus celebrabat, præcipueq; illi, qui in aula verſabantur. Quare cùm magiſtratus, & familiares tanquam in publico conuiuio ſe ſe oblectarent, Rex, eunuchorum, qui in carcere erant, recordatus, ad ſe vt ducerentur, imperauit, addúctosque conſpicatus, ea, quæ ex ſomniorum interpretatione prænuntiata fuerãt, perfecit, & confirmauit, iubens vt alter ageretur in crucem, eique caput

abſcinderetur;alter munere quod antè habuerat, iterum fungeretur. Pincernarum igitur princeps Regi reconciliatus,eius,qui ſibi reditum in gratiam prædixerat, omneſque ſuas calamitates ſubleuarat, oblitus eſt: vel quoniam omnes ingrati, eorum,qui de ſe benemeriti ſunt, obliuiſcuntur; vel quia ſic placuit prouidentiæ Dei, qui nolebat, vt adoleſcenti per alium magis, quàm per ſe proſpera euenirent. Poſt biennium enim, & bona, & mala, quæ regioni euentura erant, in quiete Regi duobus viſis idem confirmandæ fidei gratia ſignificantibus diuinitus oſtenduntur. Videbatur enim ſibi intueri ſeptem boues è fluuio egredi pingues, & perquàm obeſas, aſpectuq; pulchras, & propter fluminis ripas paſci. Poſt has autem,alteras totidē numero, graciles, macieque confectas, & aridas, atque deformes aſcē dentes compaſcere. Repentè verò

meliores illas deuorari ab his deterioribus. Quæ tñ ob id ne minimo quidem tumore ventres auxiſſe, ſed eos potius contraxiſſe videbantur. Experrectus autem cùm rurſum obdormiſſet, altero viſo commotus eſt. Exiſtimabat enim ſe videre ſeptem frumenti ſpicas ex vno culmo conſurgere, augerique, & florere, atque in altitudinem valde firmas tolli. Deinde alteras ſeptem tenues & imbecilles prope illas naſci, quæ irruentes culmum ſpicis fœcundum conſumpſerunt. Poſt hoc viſum reliquã noctis partem inſomnem duxit. Sollicitudines enim eum pungentes ac ſtimulantes ſomnum capere nõ permittebant. Quare ſummo manè ſapientes conuocat, & ſomnium narrat: cuius veram ſignificationem cùm nullus eorum inueſtigare, & coniecturis aſſequi poſſet, pincernarum princeps in medium prodiens: Spero, inquit, Domine, virum, quem deſideras in-

uentum iri. Iuſſeras, me, & piſtorum pręfectum, ita commeritos in carcerem trudi. Ibi coquorum magiſtri ſeruus erat Hebræus quidam, cui quę nobis in quiete per viſum apparuerant, expoſuimus. Ipſe verò tam aptam, & accommodatam protulit interpretationem, vt quicquid ille prædixit, vtriq; contigerit. Nam ſupplicium ei, mihi autem ex benignitate tua reditum in gratiam pręnuntiauit. Hæc audiens Rex iuuenem celerrimè adduci iubet. Qui autem iuſſi fuerant, capillum ei, & barbam totonderunt: prolixius. n. in carcere excreuerant: & pro ſordido ſplendidis indutum veſtimentis, & alijs rebus exornatum ad Regem introduxerunt. Qui ex aſpectu hominem ingenuum & nobilem eſſe conijciens (inſunt. n. in corporibus quędam notę, non omnibus tamẽ perſpicuę, ſed illis duntaxat, qui perſpicaci mentis oculo prędıti ſunt, ex quibus

qualis quiſq; ſit, intelligitur) ſomnia, inquit, noſtra, vt præſagit mihi animus, non perpetuis ignorationis tenebris obuoluentur. Præſefert hic iuuenis ſpecimen ſapientiæ, qua veritatem aperiet, & tanquàm luce tenebras, ſic ſcientia ſua diſcutiet noſtrorum ſapientium inſcitiam. Tunc propoſuit ſomnia. Ille verò dicentis dignitate minimè territus, ſed tanquã Rex cum ſubdito, non autem ſubditus cum Rege fidenter ſimul & verecundè loquebatur: Quęcunque, inquiens, in hac regione facturus eſt Deus, pręſignificauit tibi. Gemina autem viſa, ne credas eſſe duo diuerſa ſomnia. Vnum enim eſt, ſed repetitum, nec fruſtra tamen, ſed quo res facilius fidem inueniat, indicio duplici confirmata. Septem enim pingues boues, ſeptemque lætę ac florentes ſpicæ, ſeptem fertilitatis atq; vbertatis annos declarant. Septem autem alteros penuriæ ac famis ſigni

ficant

ficant ſeptem illæ boues poſteriores graciles, fœdę, macieque conſumptę, itemq; ſeptem tenues corruptę, afflictęque ſpicę. Veniet ergo ſeptēnium, quod ingentem fructuum copiam afferet. Tunc enim flumen ſingulis annis exundans, agros tam pingues ac fertiles reddet, vt nulla vnquam maior vbertas fuerit. Sequetur deinde ſeptennium alterum, priori contrarium, quod grauem rerum neceſſariarum inopiam & penuriam importabit. Etenim flumen ex alueo non egredietur, nec agros lætos, & pingues efficiet. Ex quo prætẽritæ fertilitatis memoria obliterabitur, & ſiquid ex ſuperiore vbertate & copia reliquum fuerit, conſumetur. Succinit autem mihi quiddam, & eloquitur Deus, ſubijciens tanquàm in morbo remedium ſalutare. Grauiſſimus enim ciuitatum & regionũ morbus eſt fames, quæ vt imbecilla, & infirma reddatur, curandum eſt, ne

planè

planè corroborata habitatores deuo ret & aboleat. Sed quomodo infirmabitur? Quicquid fructuũ ex ſeptẽ annorũ vbertate pręter neceſſaria po pulorũ alimenta ſupererit, id aũt erit ferè quinta pars, in oppidis, & vicis cõdetur. Nec oportebit longius eos transferre, ſed ad incolarũ ſolatium, eiſdẽ in locis ſeruare, vbi collecti fue rint. Comportabuntur aũt cum ipſis manipulis antequàm terãtur, aut excernantur, omnino quatuor ob cauſas. Primùm, quia ſic operti diutius manent incorrupti. Deinde, vt quotannis terentib. & ventilantibus memoria fertilitatis ſeruetur. Rerum.n. verarum ſimilitudo proximam illis voluptatem affert. Tertio loco, ne de ſpondeant animos, antequàm collecti fructus abſumantur, ſed æquo tranquilloque animo ſint, quæ quidem tranquillitas magis ſuſtentat, quàm ipſe cibus. Spes.n. in primis alit, grauemque ex inopia morbum

leuat

leuat. Poſtremò vt reliquis etiam animalibus pabulum ſuppetat ex paleis, & quiſquilijs, quæ in ipſa tritura relinquuntur. Harum igitur rerum, qui curam gerat, conſtituendus eſt vir prudētiſſimus, ac ſolertiſſimus, & planè probatus, qui ad ea, quæ dicta ſunt, ſine odio & reprehenſione rectè paranda, & conficienda ſit idoneus, nec vllam populis euenturæ famis ſuſpicionem commoueat. Graue enim periculum eſſet, ne animis antè defatigati in deſperationem inciderent. Quòd ſi quis cauſam exquiſierit, reſpondendum erit, quemadmodum in pace parantur, quæ bello ſunt neceſſaria: ſic in vbertate, & copia, penuriæ famiſque difficultatibus oportere conſulere. Incerta autem eſſe, vt belli, ſic famis tempora, & ex improuiſo prorſus euenire. Proinde non expectandum, vt accidant, ac tum demum conquirenda ſubſidia, cùm

inutilia ſunt, ſed occurrendum illis eſſe, & antè prouidendum, neceſſariò. Audiens Rex, & ſomniorum interpretationem ſcitè & rectè ad veritatem ipſam pertingentem, & conſilium, vt videbatur, ex prouidentia futuri euentus incerti, maximè vtile, eos, qui conuenerant, propius iuſſit accedere, ne audiret: Et, inueniemus ne, inquit, ò viri, talem hominem, qui diuinum in ſe ſpiritum habeat? Collaudantibus autem illis, & comprobantibus, aſtantem ipſum aſpiciens: In propinquo, inquit, eſt, vt eum, quem mones, requiramus. Haud procul abeſt ſapiens & prudẽs ille, quem ex conſilio tuo debemus eligere. Nam tu ille ipſe es, neque enim ſine diuino numine mihi videris hæc loqui. Vade, familiæ meæ procurationem ſuſcipito, & Aegypti totius eſto Gubernator. Nullus autem facilitatem meam accuſabit, cùm in hac re me ipſe nõ amem, quod quidẽ

vitium curari vix poteſt. Etenim nec ad magna, præclaraque ingenia pro banda longum temporis ſpatium requiritur, quippè quæ virtutem ſtatim explicant ſuam, qua ſine mora cogimur ea complecti, atque diligere: nec ipſa res patitur cunctationē, cum tempora nos ad neceſſarios apa ratus vrgeant. Tum Regiſuicarium, aut, ſi verum dicendum eſt, Regem ipſum conſtituit. Nomen enim imperij reſeruans ſibi, adminiſtrationē illi conceſſit, & omnia alia tribuit, quę ad honorem iuuenis pertinerēt. Nam & annulum regium, & ſacram veſtem, & monile aureum dedit, iuſſitque vt in ſecundum aſcendens cur rum per ciuitatem veheretur, præcedente præcone, & dignitatem ipſius ignorantibus diuulgante. Ex ſomniorum autem interpretatione mutauit illi nomen, & patria cum lingua appellauit, filiamq; ſacerdotis ſolis lectiſſimā virginē in Aegyptoq;

nobiliſſimam deſpondit. Hæc geſta ſunt, cùm ætatis annum circiter trigeſimũ ageret. Tales ſortiuntur euentus homines pij: licèt enim affligantur, non in perpetuum iacent, ſed exurgentes eriguntur, & tam ſtabili, ac firmo collocantur in ſtatu, vt amplius cadere aut labefactari non poſſint. Quiſnam ſperaſſet, vt vno die fieret è ſeruo dominus? Et carceris loco, ſummam aſſequeretur dignitatẽ, vt pro miniſtro cuſtodis carcerum, Regis prouinciarũ rector crearetur? Vt regiam pro carcere gubernaret? & pro ſummis ignominijs primos honorum gradus obtineret? Attamen hæc euenerunt, & ſæpe, cùm Deus voluerit, ſunt euentura. Subſit modò in animis vna aliqua virtutis, & probitatis ſcintilla, ea neceſſe eſt aliquando excitetur, & luceat. Verũ quoniam ea, quæ narramus, ad vitã moresque referre propoſitum eſt, de his etiam aliquid, quod alienum nõ

ſit, dicemus. Ac, tametſi quiſpiam fortaſſe leuior è vulgo hæc audiens irridebit, ego tamen audacter affirmabo, virum ciuilem omnino ſomniorum interpretem eſſe oportere, non ex numero circulatorum, qui nugas, & mendacia pretio vendunt, vt ex eorum, quæ in ſomnis apparent, interpretatione, corrogandæ pecuniȩ occaſionem arripiant: ſed qui cõmune, & vulgare, magnumq; ſomniũ non dormientium modò, ſed vigilãtium diligenter conſiderant, & interpretantur. Hoc autem ſomnium, vt quæ à mendacio ſunt remotiſſima, dicamus, eſt hominum vita. Quemadmodum enim ſomniantibus accidit, vt videntes non videamus, & audientes non audiamus, & guſtantes tangenteſue, nec guſtemus, nec tangamus, loquentes nihil dicamus, deambulantes minimè moueamur, & reliquis motibus, & actionibus nobis vti videamur,

nec vtamur tamen, cùm illa omnia ſint inania, nec in vlla hæreant ſubiecta materia, veritaſque duntaxat imaginem, & ſimulacrum quoddam adumbret eorum, quę verè non ſunt, ſic vigilãtes in opinionibus ſomniorum ſimilibus verſamur. Venerunt, receſſerunt; apparuerunt, euanuerunt; priuſquam planè caperentur, auolarunt. Rẽ expendat vnuſquiſq; & domi ſecum exploret, nec argumẽtis noſtris indigebit: præſertim ſi iam ætate prouectus ſit. Is enim aliquando infans fuit, deinde puer, pòſt pubes, tùm adoleſcens, poſtea iuuenis, mox vir, poſtremò ſenex. Sed non ſimul hæc omnia. Neq; enim infans in puero ſubſtitit, nec puer in pubere, nec pubes in adoleſcẽte, nec adoleſcẽs in iuuene, nec iuuenis in viro, nec vir in ſene, nec ſenex in morte: fortè autem, fortè, inquã, vnaquæq; ætas robore cedens ætati ſuccedenti prius moritur, atque ita nos ſenſim

natura docet, ne mortem in ſumma formidemus, cùm eam in ſingulis partibus tam facilè tulerimus. Nam & infantiæ, & pueritiæ, & pubertatis, & adoleſcentię, & virilis ætatis mortem obiuimus, earum enim nulla iam adeſt adueniente ſenectute. Quid? illa, quæ ad corpus pertinẽt, nonne ſunt ſomnia? forma quidem vno die permanet, & marceſcit antè quàm floreat. Valetudo inſtabilis propter multa mala, quæ illi ſtruũt inſidias, robur innumerabiles ob cauſas morbis obnoxium, ſenſuum integritas minimè firma, cùm breui temporis momento euertatur: incertam verò rerum externarum conditionẽ quis ignorat? Sæpenumerò homines ditiſſimi vno die decoxerunt. Qui ad ſummos maximarum dignitatum gradus aſcenderant, ad infimos obſcuriſſimi deciderunt. Ampliſſima Regum imperia perleui temporum inclinatione ſunt euerſa. Teſtatur

hoc Dionyſius ille Corinthi, qui cũ in Sicilia rerum potiretur, amiſſo principatu Corinthum exul profugit, ibiq́ue ex tanto principe literator effectus ludum aperuit. Accedit etiam teſtis Regum opulentiſſimus Cræſus, qui ſe Perſarum imperium euerſurum ſperans, non ſolùm amiſit ſuum, ſed cùm viuus veniſſet in hoſtium poteſtatem, haud procul fuit, vt combureretur. Somniorum teſtes ſunt non ſinguli homines tantùm, ſed ciuitates, gentes, regiones, Græcia, Barbaries, qui in continenti, qui in inſulis habitant; Europa, Aſia, occidens, oriens. Nihil denique commemorari poteſt, quod in eodem ſtatu permanſerit. Omnia prorſus conuerſionum, commutationumq́ue viciſſitudines ſenſerunt. Aegyptus, quæ multis olim gentibus imperabat, nunc eſt in ſeruitute. Macedones ad tempus adeò floruerunt, vt totius orbis impe-

rium attingerent, nunc autem coa-ctoribus annua ſibi à dominis impoſita pendunt vectigalia. Vbinam illa Ptolemæorum domus? vbi ſingulorum ſucceſſorum ſplendor, qui ad extremos vſque terræ mariſque terminos elucebat? Vbi libertas gentium, & ciuitatum, quæ proprijs legibus vtebantur? Vbi contrà ſubditorum ſeruitutes? Nonne Perſæ Parthis imperabant? At Parthi nunc imperant Perſis. Propter humanarum rerum conuerſiones, variaſque tanquàm in ludo talorum commutationes, diuturnas, & immenſas ſibi quidam fingunt proſperitates, ſed eas ingentium malorum cauſas inueniunt, & feſtinantes tanquam ad bonorum hæreditatem, in graues calamitates incurrunt. Alij rurſus, qui res aduerſas expectabant, ſecundiſſimæ contigerunt. Athletæ, qui viribus, robore, & corporis firmitate confiſi, certam ani-

mo, & ſpe victoriam præceperant, ſępe vel certamine excluſi ſunt, quòd nō probarentur, vel in certamen admiſſi, fuerunt victi. Alij verò, qui ne ſecunda quidem præmia ſe conſecuturos ſperabant, prima coronati perceperunt. Aestate quidam ſoluentes, quo tempore proſpera ſolet eſſe nauigatio, naufragium fecerūt. Hyeme naufragium expectantes alij in portū ſine periculo aducti ſunt. Tanquam ad certa compendia nonnulli contendunt mercatores, & iacturas inopinatas offendunt. Econtrario ſe detrimentum accepturos quidam metuunt, & emolumenta magna conſequūtur. Adeò in alterutram partem incerta eſt fortuna, humanæque res tanquam in trutina inæqualibus examinatæ ponderib. ſurſum deorſum feruntur, & magna in obſcuritate multis inuolutę tenebris detinentur. Nos autem quaſi profundo oppreſſi ſomno oberramus, & ratio-

tionis vi nihil aſſequi poſſumus, nihil certum aut firmum comprehendere. Nam omnia ſunt vmbris, viſiſque ſimilia, & tanquàm in pompis prima quæque prætereuntia noſtros oculos fugiunt. Et quemadmodum, torrentium fluctus tanta celeritate concitati pertranſeunt, vt apprehendi nequeant, ſic in hac vita res feruntur, atque prætereunt. Videntur illæ quidem cōſiſtere: verùm ne puncto quidem temporis manent, ſed aſſiduè ſubtrahuntur, & fluunt. Qui autem vigilant, cùm nihil à dormientibus differant, quantum quidem ad certam pertinet rerum comprehenſionem, tamen ſe ipſos decipientes, earum naturam ſe exiſtimant poſſe non errantibus rationibus intueri, cùm nullus ſenſuum ſit, quod nō afferat impedimentum. Corrumpuntur enim ſuccorum ſpectaculis, & humorum proprietatibus, ad quæ declinantes totum etiam animum ſe-

cum trahunt, ac deprimunt, nec permittunt, vt excitetur, & rectus ſine errore per publicam quaſi viam incedat. Deinde quæ ſublimia ſimul atque humilia, quæ magna atq; eadem parua, & alia denique omnia quæ ex inæquabili diſcordique varietate permixta concretaque ſunt, hallucinari cogunt, magnamq; oculorum vertiginem, ac tenebras afferunt. Cùm tanta igitur perturbatione, confuſioneque, & obſcuritate plena ſit vita, oportet, vt ſomniorum interpres accedens, tanquam ſapiens in ea interpretandi facultate, quæ de die ſomnia, & viſa ijs, qui videntur vigilare, contingunt, dijudicet, & veriſimilibus coniecturis, ac probabilibus argumentis de vnoquoq; diſputet. Hoc, inquiens, honeſtum eſt, illud turpe. Hoc bonum, malum illud. Hoc iuſtum, illud iniuſtũ, & reliqua eodem modo. Hoc prudens, forte, religioſum, pium,

vtile, commodum; contrà illud inutile, inconſideratum, ignauum, impium, nefarium, incommodum, & ſe nimium amantis. Præterea illud alienum eſt? Ne concupiſcas. Hoc tuum? Vtere, ne abutaris. Diuitijs abundas? Eas communica, atque impartire. Diuitiarum enim decus non in ſacculis, & arca, ſed in fouendis, ac ſubleuandis pauperibus ſplendet. Pauca poſſides? ne inuideas locupletibus. Nullus enim inuidum pauperem miſerabitur. Gloria, & honoribus præſtas? ne tibi placeas, neque efferaris. Aduerſatur fortuna? ne concidat animus. Omnia ex ſententia proſperè ſuccedunt? Viciſſitudinē time. Multis affectus es damnis? Meliora ſpera. Rerum enim humanarum in contraria fiunt commutationes.

Sol, Luna, & cœlum vniuerſum certum ac manifeſtum ſplendorem habēt, quoniam in ipſis cuncta ſimilia,

& ad veritatis regulam ordine, harmonia, concentuque optimo dimẽſa manent. Quæ autem terrena ſunt, multa confuſione, perturbationeq; referta nullum concentum, nullam retinent harmoniam, vt veriſſimè dici poſſit, hæc profundam obſcuritatẽ occupaſſe, illa verò in luce nitidiſſima ferri, immò verò ipſa eſſe veriſſimam atq; puriſſimam lucem. Si quis igitur voluerit res introſpicere, reperiet cœlum eſſe diem ſempiternum, ab omni nocte atque vmbra remotiſſimum, quippè quod puris illis, quę nunquam extinguuntur, luminibus circumſplendeat. Quantum autem apud nos vigilantes à dormientibus, tantum in mundo cœleſtia à terreſtribus diſcrepant. Cœleſtia ſemper vigilant, quorum actiones certæ, perpetuæ, atque in omnibus perfectæ ſunt. Terreſtria ſomno detinentur, ac tametſi parumper excitantur, rurſus tamen deprimuntur, & dormiũt.

Cùm nihil eorum ſit, quod rectè poſſit animo perſpicere, quin aberret, & allucinetur. Falſis enim opinionibus tanquàm tenebris obſcuratus, atq; obrutus ſomniare cogitur, atq; ita à rebus excluſus nihil firmè concipere, aut bene cognitum, & exploratum habere poteſt. Nec illud ſignificatione caret, quòd in ſecundũ ex regis curribus aſcendere dicitur. Ciuilis enim vir ſecundas poſt Regẽ partes obtinet. Nam neq; priuatus, neque Rex eſt, ſed vtrique finitimus, priuato quidem ſuperior, ſed inferior Rege, qui iure ſuo regnũ obtinet. Regis enim loco populum habet, pro quo bona fide, ac ſine dolo cuncta, vt antè diximus, gerit. Fertur autem tanquàm curru bijuge, rerum geſtarum gloria, & populari ſtudio in ſublime prouectus, præſertim cùm tã magna, quàm parua cedunt è ſententia, nihil aduerſante fortuna ſed omnia Deo, vt in ſecunda naui-

ga-

gatione ad ſalutem ſubminiſtrante. Annulus autem à Rege traditus eſt fidei ſignum clariſſimum, quam & Rex populus habet ciuili viro, & vir ciuilis regnanti populo. Aureus verò torques, qui collum eius exornat, videtur ſignificare gloriã & animaduerſionem. Quando enim in Rep. adminiſtranda cuncta proſperè ſuccedunt, honore, auctoritateque excellit apud populum; at ſi aduerſo quopiam caſu aliquid offenſum fuerit, etſi culpam eius rei fortuna ſuſtineat, ideoq́ venia dignus ſit, tamen is nihilò ſecius eo colli ornamento deorſum trahitur, & affligitur, cùm populus id ſolùm dicat: Ego torquem iſtum largitus ſum tibi, qui & ornaret te, ſi res meæ benè & fœliciter gererentur: & ſi contrà, ſtrangularet. Audiui tamen, & alia ratione locum hunc, magiſq́ue ad mores accommodata diligenter explicari. Dicunt enim̃ corporeæ regio-

nis in ſingulis hominibus animum eſſe principem, à quo tanquam à Rege corporis ſtudioſo pēdet imperiū. Tria ſunt autem, quæ maxima cura paranda ſunt, panis, obſoniū, potus. Ad hęc conficienda tribus etiam miniſtris vtitur, vno piſtorum, altero pincernarū, & tertio coquorum prȩfecto. Primus enim eſculenta, alter poculenta, tertius condimentorum delicias curat. Sunt autem omnes eunuchi. Etenim qui voluptates amat, quæ maximè neceſſaria ſunt, vt temperantiam, verecundiam, continentiam, iuſtitiam, & reliquas virtutes generare non poteſt. Nihil enim alteri tam inimicum eſt, quàm virtuti voluptas, propter quam multi effrȩnatis cupiditatibus, quibus imperandum eſt, obtemperantes, atque indulgentes, ea, quæ in primis curanda ſunt, negligunt. Coquorum præfectus in cuſtodia non includitur, nec vlla afficitur pœna, quia cō

dimenta non ſunt admodum neceſſaria, nec voluptates, ſed voluptatum quidam veluti ſtimuli, & faces, quæ facilè extinguuntur. Duo autem, qui circa miſerum ventrem ſunt occupati, piſtorum vnus, alter pincernarũ præfecti: quoniam ea, quæ vitæ ſummoperè neceſſaria ſunt, continent eſcam, & potum, ſi debitam illis curandis diligentiam adhibent, laudẽ aſſequuntur, ſin negligentiores ſunt, indignatione ac ſupplicio digni iudicantur. Eſt etiam diſcrimen in animanduertendo, quãdò diſpar eſt eorum vſus. Panis enim valde neceſſarius, vini autem non item. Nam & ſine mero viuunt homines, dum aquam fluentem bibunt. Itaque pincernarum præfectus in gratiam reſtituitur, ꝗ is in re leuiori peccauerit. Piſtorum autem princeps in gratiam reduci non poteſt, ſed ad mortem vſq; Regis indignationem ſuſtinet, quòd in re grauiſſima deliquerit.

Eſcę nanque penuria mortem affert, & iccircò, qui in ea re peccaſſe depre henditur, capite damnatur, atque ſuſpenditur, meritò & pari affectus ſupplicio, quoniam, & ipſe ſuſpendit,& occidit eſurientem fame. Ac de hoc quidem hactenus. Ille igitur in Regis locũ ſubſtitutus, qui Aegyptum regeret, & gubernaret, egreſſus eſt, vt ab omnibus incolis cognoſceretur, & in ſingulis oppidis edicta proponens, magnum ſui deſi derium non ſolùm beneficijs,quibus omnes afficiebat, ſed aſpectu, & incredibili ac ſingulari ſermonis congreſſusque gratia videntibus excitauit. Verùm cùm ex ſomniorum interpretatione prius vbertatis ſeptennium adeſſet, quintã fructuum partem per alios præfectos, qui ſibi in publica procuratione ſubſeruiebant, quotannis colligens: & condens tan quam manipulorum multitudinem congregauit, vt maiorem nemo poſt

homi-

hominum memoriam fuiſſe meminerit, cuius rei clariſſimum illud argumentum eſt, quòd eorum numerus ignorabatur. Sed cùm præterijſſent ſeptem anni, quibus agrorum fertilitas fuerat, exorta eſt fames, quę progrediens, & creſcens nõmodò Aegyptum oppreſſit, ſed exteras ciuitates, & regiones vſq; ad Orientis Occidẽtiſque terminos longè lateq ue inuadens, totum terrarum orbem occupauit. Nulla profectò peſtis tam ingens vnquam publicè craſſata dicitur, inſtar illius morbi, quem Herpeta medici appellant, quòd ſerpens per omnes partes totam exulceratorum corporum compagem, & coniunctionem tanquam ignis ſenſim omnino depaſcatur. Vndique igitur rei frumentariæ cauſa probatiſſimi viri mittebantur. Iam enim prudentia iuuenis, qui ſummam frumenti copiam ad temporum difficultatem atque inopiam condiderat, &

conſeruarat, vbiq; percrebuerat. At ille primùm iubet recluſis theſauris aceruos omnes exponi, quo ſpectantium animos exhilararet, eiſque bona ſpe prius, quàm corporibus mederetur, deinde per homines, quos eiuſmodi negotio præfecerat, emere volentibus pretio vendi, futurũ ſemper proſpiciẽs,& acutius cernẽs, quàm præſens, id, quod inſtabat. Interim pater, cùm rerum victui neceſſariarũ anguſtia premeretur, filijq; fœlicitatem ignoraret, ad emendum frumentum decem filios mittens, natu minimum apud ſe retinuit, qui ex eadem matre natus erat, ex qua Regis munere fungentem ſuſceperat. Atque illi quidem in Aegyptum profecti fratrem tanquàm alienum conuenerunt, eumque antiquo de more dignitatẽ ipſius admirati, ſomniorumque ſignificationẽ confirmantes adorarant. Ille verò eos, qui ſe vendiderant intuitus, ſtatim agnouit

omnes, cum ab eorum nemine agnoſceretur. Nondum .n. volebat Deus rē patefieri neceſſarijs de cauſis, quas tunc ſileri præſtabat. Vultum autem commutarat, vel vt grauiorem perſonam ſumeret, congruentem ei, qui regioni præfectus eſſet, vel vt intuentium à ſe cognoſcendo cogitationes auerteret. Tum non vt iuuenis, qui tantū imperium adminiſtraret, quiq; primum dignitatis locum ſecundum Regem obtineret, & ab omnibus hominibus ab ortu Solis ad occaſum vſque ſuſpiceretur, ætatis flore, & magnitudine poteſtatis elatus, vltionis nactus occaſionem, iniuriȩ voluit recordari, ſed impetum animi repreſſit, & cœlauit, & alienationem prudenter præſetulit, oculiſque, & vultu, & voce, atque alijs ſignis ſe indignatum ſimulans: O vos, inquit, nihil pacificum mihi ſentire videmini, ſpeculatores miſſi eſtis ab aliquo Regis hoſte, cui operam veſtram in ſce

lere

lere polliciti,vos id clam laturos qui dem exiſtimaſtis, ſed nullæ me, licèt occultiſſimæ, inſidiæ latere poſſunt. Tum illi conari ſe ſe defendere, dicẽtes, ea in ſe crimina conferri, à quibus eſſent alieniſſimi: neque enim ab hoſtibus venire, neque alienos ab Aegyptijs animos habere, aut vnq̃ habuiſſe, ſed natura pacis amantes eſſe, & iam inde ab ipſa pueritia benè parere didiciſſe ab homine religionis ac pietatis colentiſſimo ac ſtudioſiſſimo patre ſuo, qui duodecim liberos procreaſſet, quorum vnus natu minimus, quia propter ætatem peregrinationis laborem ferre non poſſet, domi remanſiſſet, decem adeſſe quos ipſe præſentes cerneret, reliquũ autem è medio ſublatum fuiſſe. Hæc audiens de ſe tanquàm mortuo dici ab illis, à quibus proditus fuerat, nõ potuit quidem animo non commoueri, attamen eiuſmodi motum non præſetulit, ſed cùm intrinſecus accen

ſus atque inflammatus eſſet, graui tamen vultu: Si vera, inquit, ſunt, quę dicitis, nec regionem ſpeculaturi ve niſtis, vos quidem hic, vt vobis credam tantiſper manete, donec frater minimus literis accerſitus veniat. Quòd ſi abire feſtinatis, ne fortè diuturno veſtri deſiderio pater ſollicitus ſit, omnes diſcedite, vno tantũ relicto, qui vas ſit, donec cum fratre minimo reuertamini non obtem perantibus autem grauiſſimum capitis ſupplicium propoſitum eſt. Hæc truci vultu comminatus, ſeque vehementer iratum oſtendens diſceſſit. At illi cogitabundi, ac triſtitia pleni ſe ipſi accuſabant, quòd fratri feciſſent inſidias: Peccatum illud, dice bant, præſentium malorum eſt cauſa. Iuſtitia enim rerum humanarum mo deratrix, & arbitra iam contra nos aliq̃d molitur. Etenim poſteaquàm tempus exiguum quieuit, eonſurgẽs implacabilem atq; inexorabilem na-

turã

turā ſupplicio dignis oſtendit. Quid enim non ſumus commeriti, qui fratrem orantem obſecrantemq́ue deſpeximus? Ille nihil peccarat, viſa tantùm ſibi ſecundum quietem familiariter vt amicis retulerat, ob quę nos omnium crudeliſſimi atque immaniſſimi, indignati, nefarium in eum ſcelus (verum enim fateri oportet) commiſimus. Quamobrem, & hæc, & his grauiora nos perpeſſuros formidemus, qui, cùm ſoli ferè ex omnibus hominibus ob eximias patrum, auorum, maiorumq́ue virtutes ingenui & nobiles appellemur, inſigni fœditate genus dedecorauimus. Fratrum autem natu maximus, qui initiò ſtruentibus inſidias aduerſabatur: Nihil prodeſt, inquit, poſt facta pœnitere, cohortabar, atque obteſtabar vos olim, ne iracundiæ velletis indulgere, exponebam piaculi magnitudinem; vos autem cùm deberetis ſententiam meam compro

bare, temeritati veſtræ paruiſtis. Quamobrem pertinaciæ, atque impietatis fructum percipimus. Illarũ enim inſidiarum repetuntur pœnæ. Repetuntur autem non ab homine, ſed vel à Deo, vel à ratione, vel à diuina lege. Hæc illis ſecretò inter ſe colloquẽtibus per interpretem nuntium accipiebat frater, qui venditus fuerat. Itaque commotus non poterat non lacrymare. Quare ne deprehenderetur, auertit ſe, atque ſeceſſit, & magnam effudit vim lacrymarum, cumque paulòpoſt ſubleuatus oculos abſterſiſſet, reuerſus eſt, iuſſitque fratrem, qui ſecundo loco natus erat, in aliorum fratrum conſpectu vinciri. Is enim ſibi ex altera parte reſpondebat: In pluribus enim ille qui ſecundum obtinet locum, ordine reſpondet ei, qui vltimum antecedit. Qua quidem ratione, & extremo reſpondet primus. Vel ob eã etiam fortaſſe cauſam eum vincu-

lis aſtringi potiſſimùm voluit, quòd oĩum grauiſſimè peccaſſe videbatur cùm ipſe quodãmodò, dux fuiſſet, & alios ad crudelitatem incitaſſet. Etenim ſi cum fratre natu maximo, qui mite, atque humanum conſilium dabat, cõnſenſiſſet ipſe, qui vt illo minor erat ætate, ſic reliquos ſuperabat, fortaſſe peccatum non fuiſſet ad miſſum. Nam conſpirantes, idemq; ea de re ſentientes ipſi, qui principes erant, & honore præſtabant, cæteros in ſententiam ſuam facilè perduxiſſent. Nunc aũt à clementiore, melioreq; parte deficiẽs, ad acerbiorem deterioreq̃; ſponte ſe cõtulit, eiusq; tanquàm dux ſocios impulit, vt nefarium ſcelus non dubitarent perficere. His de cauſis ille mea quidem ſententia vinctus fuit. Domum verò cæteri reditum adornabant. Iuſſerat autem regionis Præfectus ijs, qui frumentum vendebant, primùm quidem vt ſaccos fratrum tanquàm pe-

regrinorum omnes implerent, deinde pretium, quod acceperant, in ore ſaccorum clam collocarent, poſtremò tãtum commeatus adiungerent, quantum eis in itinere victum abundè ſubminiſtraret, ne frumentum, quod exportabant, imminueretur. Iter facientes igitur, fratrẽque retentum in vinculis, vt par eſt, commiſerantes non minus dolebant vicem patris, qui calamitatem alteram eſſet auditurus, tanquàm ſingulis itineribus aliquid ei de pulchra filiorum copia detraheretur. Quid? quòd nõ credet, dicebant, vinculis conſtrictum eſſe, ſed mortuũ ſuſpicabitur, nos autem vincula confinxiſſe, quò mortem eius occultaremus? Solent enim qui ſemel percũſſi ſunt, eadem in parte vulnerari. Cùm autem adueſperaſceret, iumenta quidem oneribus leuarunt, ſed grauius ipſi curarũ pondus animis ſuſceperunt. Fit. n. vt dum corpora quieſcũt, acrioribus

animi ſollicirudinib.angantur.Eorũ autem vnus cùm aperuiſſet ſaccum, in eius ore marſupium reperit argen to plenum, quo numerato pretium, quod pro frumento ſoluerat, ſibi repoſitum animaduertit: admirationeque commotus rem fratribus nun tiauit, qui id non beneficij, ſed inſidiarũ indicium exiſtimantes, quãuis omnes ſaccos ſcrutari cuperent, tamen inſequentes veriti, collectis ſarcinis quàm celerimè cõtenderũt, atque ita currentes, vt ſibi vix ſpirandi ſpatium concederent, multorum dierum viam breui confecerunt, patremque, vnus ex hac, alius ex alia parte, complectentes non ſine lacrymis obſculabantur. At ille huc illuc ſe ſe vertens, ſingulos lætus amplexabatur. Quanquàm animus iam inopinatum aliquid præſagicbat, etenim in ipſa congreſſione, & complexu de filio, qui deerat, cogitans, eum tarditatis incuſabat, oculosq;

ad

ad ipſos introitus identidem referẽs cupiebat abſolutum filiorum numerum intueri. Sed cùm foris nemo amplius accederet, videntes eum re inexpectata perculſum: Moleſtius, eſt, inquiunt, pater, in dubio verſari, quàm ipſam rem intelligere. Qui enim rem intelligit, viam ad ſalutem excogitat. Mentis autem hæſitatio difficultatem affert, nec vllum exitum reperit. Audi igitur valde iniucunda quidem, ſed dictu tamen neceſſaria. Frater, quem frumenti cauſa nobiſcum miſiſti, viuit ille quidem: oportet enim te à maiore metu mortis ipſius liberare: Viuus autẽ in Aegypto apud regionis Præfectum manet; qui ſiue vt calumniaretur, ſiue id verè ſuſpicaretur, nos vti ſpeculatores criminatus eſt. Cũq; defenſionis gratia reſpõderemus ea, quæ tempus poſtulabat, tum de te patre, tum de reliquis fratribus, quorum alter deceſſiſſet, alter apud te eſ-

ſet. Domi enim propter ætatem, quo niam adhuc puer eſſet, manſiſſe dice bamus, omnia denique ad genus, & familiam noſtram pertinentia tollen dæ ſuſpicionis cauſa perſequentes, & aperientes, nihil aliud profecimus, niſi vt diceret, ſe tum demum crediturum non eſſe falſa, quæ narraſſemus, ſi puer ipſe minimus ad ſe perduceretur, eaque de cauſa ſecundũ apud ſe tanquàm pignus, obſidemq; retinuit. Hoc eſt dictum omnium acerbiſſimum, quod non tam ipſe iuſſor, quàm tempus imponit, cui pa rere neceſſe eſt propter frumentum, quod fame laborantibus Aegyptus ſola ſuppeditat. Ille verò grauius ingemiſcés: Quem, inquit, primùm de plorem? eumne qui ante vltimũ natus, non vltimus ſed primus ſeriem calamitatum inchoauit? an ſecundum, qui ſecundas malorum partes tulit, ante mortem vincula? an poſtremum & minimum hunc, qui de-

teſtandũ iter ſuſcipiet, ſi tamen ſuſci piet, nec fratrũ aduerſis caſibus deterrebitur. Ego autem per partes, & membra comminutus, partes enim, & membra parentum ſunt filij, periculum adibo, ne qui ex magna pulchraque prole paulò ante beatus exi ſtimabar, redigar ad orbitatem. Ad hæc natu maximus: Duo, inquit, filij mei, quos ſolos genui, apud te obſides maneant. Hos interficito, niſi tibi fratrem fidei cõmiſſum meæ ſaluum, & incolumem reducam. Hìc ſi in Aegyptum proficiſcitur, duo nobis maxima conficiet. Nam, & fidẽ noſtram liberabit, oſtendetque nos nec ſpeculatores, nec hoſtes eſſe: & fratrem, quem vinculis conſtrictum reliquimus, recuperabit. Cùm magnoperè torqueretur, & ambigeret pater, quid nam ageret. Etenim cũ duos ex eadem matre liberos ſuſcepiſſet: vnus, aiebat, iam occidit, alter, qui relictus eſt ſolus, viam exhorre-

ſcet, & viuens præmorietur metu, cùm formidanda illa, quæ prior perpeſſus eſt, cogitabit. Hæc ille cùm diceret, audaciſſimum, & qui ad dicendum natura vim maximam habebat, is autem ætate poſt primum ordine quartus ſequebatur, adduxerunt, vt omnium ſententiam explicaret, quæ erat eiuſmodi: Cùm victui deficerent neceſſaria, quòd frumentum prius aduectum conſumptũ eſſet, ingraueſcente autem premerentur fame, ſibi neceſſariò proficiſcendum videri, non profecturos tamen, ſi frater minimus maneret. Regionis enim præfectum edixiſſe, ne accederent, niſi illum adduxiſſent. Conſiderans ergo, vt virum ſapientem decebat, ſatius eſſe, incerto atque ancipiti rerum futurarum euentui vnum obijcere, quàm permittere, vt tam multi minimè dubiam, ſed certam mortem oppeterent, quorum interitu tota do-

mus fame oppreſſa funditus euerteretur, tantùm reſpondit: Quandò neceſſitas, inquiens, cõſilio meo ſuperior eſt, cedamus. Fortè natura melius aliquid parat, quod cogitationibus noſtris nondum vult eſſe perſpicuum. Minimum igitur vobiſcum ducentes, vt prædictum eſt, diſcedite, non ea tamen ratione, qua prius. Tũc.n. vt ignotis hominibus, & quibus nondum quicquam aduerſi contigerat, argento duntaxat ad emendum frumentum opus erat: nunc autem & muneribus opus eſt, primùm vt apud regionis Rectorem, reique frumentariæ Præfectum, cui vos eſſe notos dicitis, gratiam ineatis: deinde vt vinculis deuinctum citius redimatis, pretium afferentes: poſtremò vt ſuſpicionem, quam de vobis tanquàm ſpeculatoribus habet, quàm maximè fieri poteſt, depellatis. Omnium igitur, quę terra noſtra fert quaſi primitias offerte homini, & du

plicem

plicem argenti ſummam, & antè datam, quæ fortè alicuius imprudentia reddita fuit,& quam pro frumento ſoluatis. Afferte ſimul, & vota nostrá,quæ Saluatori nũcupamus Deo, vt & apud indigènas peregrinantes gratioſi ſitis, & incolumes reuertamini, reddatisquè patri depoſita neceſſaria, filios, & quem vinctum reliquiſtis, & quem minimum, ac rerum vſus expertem nunc abducitis. Diſcedentes igitur in Aegyptũ contendebant, quò paucis poſt diebus cùm perueniſſent, eosque regionis princeps conſpexiſſet, ſummopere lętatus eſt, iuſſitque domus procuratori, vt prandium pararet, eosque ſibi conuiuas futuros introduceret. Introducti autem cuius culpę ſibi nõ erant conſcij, metu perterriti,& con turbati ſuſpicabantur, ſe vt fures accuſatum iri, quaſi frumenti pretium ſurripuiſſent, quod prius in ſaccis inuenerant. Itaque domus procurato-

rem adeuntes ſe ſe excuſabāt, in quó nullus eos audebat criminari, conſcientiæque medentes ſuæ protulerunt atq; oſtenderunt argentum, vt redderent. Ille verò blanda atque humana oratione eos conſolabatur, iubebatque, vt bono animo eſſent. Quis enim (dicebat) tā impius erit, vt Dei benignitatem in crimen vocet? Deus enim theſauros, vt imbrē immiſit in ſaccos veſtros, nec eſcas ſolùm, ſed diuitias promptè dedit. His verbis confirmati munera, quæ domo attulerant, ordine ſtatuerunt, obtuleruntque aduenienti domino, interrogatique ab eo, quomodò ſe haberēt, & vtrùm viueret pater, quo de antè locuti fuerant, de ſe nihil, patrem autem valere reſpōderūt: quod ille libenter audiens, eumque Dei amiciſſimum virum appellans, ad fratrem ex eadem matre natum oculos conuertit, quē cùm aſpexiſſet, ſibiq; temperare non poſſet, ſed affectio-

ne vinceretur, antequàm res patefie-
ret, auertit ſe,currensque ſeceſſit, tã
quàm ad ſerium & graue aliquod ne
gocium feſtinaret, (verùm enim elo-
quendi nõ erat tempus)& in occulto
quodam ædium loco flendo lacryma
rum copiam profudit. Deinde cùm
ſe abluiſſet, rationeque ad vincen-
dam animi affectionem confirmaſ-
ſet, ad hoſpites conuiuas proceſſit,
eo prius reſtituto, quem pro mini-
mo vadem acceperat. Epulabantur
autem ſimul & alij inter Aegyptios
probati, ac nobiles viri. Singulis ta
men ex patrio cuiusque inſtituto, &
more miniſtrabatur. Iniquum enim
exiſtimauit antiquas leges non obſer
uare, præſertim in eo conuiuio, vbi
plus voluptatum ineſſet, quàm mo-
leſtiarum. Verùm,cùm pro ætatis ra
tione iuſſi eſſent ordine diſcumbere,
admirabantur, quòd Aegyptij, cùm
ea diſciplina nondum reliqui homi-
nes in conuiuijs vterentur, Hebræo-

rum conſuetudinem atque ordinem in diſcumbendo tam diligenter obſeruarent, & omnibus pro ſua cuiq; ætate honorem haberent. Aliàs fortaſſe, dicebant, hæc regio in eiuſmodi rebus erat imperitior, ſed hic vir, qui Reipub. Præfectus eſt, non ſolùm in magnis tùm pacis, tum belli negotijs adminiſtrandis rectum ordinem adhibuit, ſed etiam in his leuioribus, quæ ferè in iocis verſantur. Hilaritatem enim conuiuia requirunt, grauiores, triſtioresque mores aſpernantur. Has illis ſubmiſſa voce laudes in virum conferentibus, menſæ non nimis magnificis dapibus inſtruuntur. Etenim graſſante fame non æquum eſſe cenſebat, qui conuiuio hoſpites acceperat, in aliorum calamitatibus delicijs indulgere. Quod ipſi vt ingenioſi prudentesque viri ad eius item laudem referebant: Quàm ſapienter, dicebant, inelegantiam euita-

uit, quàm ſapienter & inopes commiſerantis, & conuiuium agentis perſonam ſuſtinuit, quod in vtroque laudandum eſt, imitans, & quod vituperandum, effugiens. Apparatus igitur purus, elegans, ac mundus fuit, vt tempus exigebat. Quod autem deerat, continua lætitia ſupplebatur, cùm prægustantes ſeſe viciſſim fauſtis vocibus ad bibendum, & accipiẽdum, quod præbebatur, inuitarent. Quod quidem hominibus ingenuis, & elegantibus moribus præditis iucũdiora ſunt, quàm illa omnia, quæ conuiuiorum, & cœnarum ſtudioſi parant, dum oſtẽtantes ea, quæ nulla cura ſunt digna, puſilli animi ſigna præſeferunt. Poſtridie autem ſummo manè domus procuratorem accerſit, atque imperat, vt omnes ab hominibus allatos ſaccos frumento repleat, rurſumq́ue cum marſupijs pretium in ore ſaccorum deponat: in ſaccum autem il-

lius, qui ætate minimus eſſet, pulcherrimum ex argento poculum, quo ipſe bibere ſolitus erat, inijciat. Iuſſa ſtatim ille remotis arbitris perfecit. At ipſi bonis, quæ præter ſpem acciderant, gaudentes diſceſſerunt. Hæc enim metuerant: In furti crimē propter pretium redditum ſe vocatum iri, obſidem fratrem non recuperaturos, amiſſuros etiam fortaſſe fratrem minimum, ſi ab eo, qui tam ſtudioſè illum requiſiuerat, vi retineretur. Euenerant autem hæc, quę vix eis in mentē veniſſet optare. Nam præterquàm quod nullū in eos crimen coniectum fuerat, menſæ, ſalisque facti erant participes, quæ veræ amicitiæ ſigna ab hominibus reperta ſunt, fratrem ſine contumelia nullius operam, aut preces adhibentes receperant, minimum ad patrem reducebant incolumem. Quòd ſpeculatores eſſent, ſuſpicionem euaſerant, magnam cibariorum co-

piam exportabant, bonamque in futurum ſpem. Etenim, & ſi ſæpius, dicebāt, Defecerint neceſſaria, non amplius, vt antè, pauidi, ſed læti ad regionis Principem tanquàm ad amicum, non autem vt ad alienum reuertemur. Sic animo affectos, & talia cogitantes improuiſus eos, ac repentinus terror inuadit. Domus enim procurator mandato Principis cum magna ſatellitum multitudine manuum motu atque alijs ſignis imperans, vti conſiſterent, cum clamore currebat, ac præ contentione anhelans, & cum difficultate ſpiritum trahens: Mala, inquit, pro bonis referentes etiam priora crimina confirmaſtis: eandem iterum ſcelerum viam ingreſſi ſurrupuiſtis frumenti pretium, & grauius adhuc facinus commiſiſtis. Improbitas enim impunitate creſcit. Pulcherrimum, & pretioſiſſimū poculum Domini mei, quo ille vobis propinauit, ſurripui-

ſtis, viri gratioſi, viri pacifici, qui ſpeculatoris ne nomen quidem intelligebatis, qui duplicem argenti ſummam non vt priorem ablatam reſtitueretis, ſed vt plura aucuparemini, & corriperetis, dolo tanquàm eſcam attuliſtis. Fraudulentis, ac ſceleratis non ſemper è ſententia res cedũt, ſed dum latebras quærunt, depræhenduntur. Hæc illo commemorante, dolore, & metu malorum grauiſſimorum, quibus repentè opprimebantur, ſtupidi ſic obmutuerunt, vt ne hiſcere quidem poſſent. Improuiſæ enim, ac repentinæ calamitates, vel eloquentes homines mutos & elingues reddunt. Reſpirantes tamen, ne conſcientia victi tacere viderentur: Quomodò, inquiunt, aut apud quem nos defendemus? Tu enim, & iudex futurus es, & accuſator, qui, ſi alius nos in crimẽ vocaſſet, patronus, ac defenſor eſſe debueras, poſteaquàm fidem noſtram

expertus es. Quì enim fieri pôt, vt qui argentum prius inuentnm nullo indicante retulimus, vt redderemus, tantoperè mox fuerimus immutati, vt furantes detrimentis hoſpitem afficeremus? Iſtud auertat Deus, nec vlli noſtrum incidat vnquam tam dira cupiditas. Si quis ex nobis poculum habere deprehenſus fuerit, occidatur. Multis enim de cauſis, ſi admiſſum eſt, capitale facinus iudicamus. Primùm quoniam auaritia, & rerum alienarum appetitio maximè legibus interdicitur. Deinde, quia conari benemeritos lædere, valde nefarium eſt. Et eos poſtremò, qui ſe claro genere natos gloriantur, malefactis detrahere maiorum dignitati, eſt dedecus turpiſſimum. Quibus ſi quis noſtrum obnoxius inuenitur, vt qui millies morte digna patrauerit, trucidetur. His dictis iumenta ſoluunt, onera deponunt, hortantur, vt diligentiſ-

ſimè perſcrutetur. Ille verò qui in natu minimi ſacco poculum eſſe non ignorabat, vt qui illud ipſemet occultè coniecerat, callidè ſe gerebat. Incipiens enim ab eo, qui natu maximus erat, & ad reliquos ordine ſigillatim accedens, cùm ſuum quisq; ſaccum proferret atque oſtenderet, ſcrutabatur, donec ad extremum tandem peruenit, apud quem, quod quærebatur, inuentum eſt. Id illi vt conſpexere, confeſtim ingemiſcere, veſtimenta conſcindere, ſuſpirantes collacrymare, viuentemq́ fratrem, vt iam mortuum deflere, nec ſuam ipſorum magis, quàm parentis vicem lamentari, qui euenturam filio calamitatem proſpiciens, volentibus fratrem ſecum adducere, aduerſabatur. Mœſti igitur ac conturbati eodem itinere in ciuitatem reuerſi ſunt, caſu ipſo obſtupefacti, nec id fratris auaritia commiſſum, ſed in eo factas inſidias fratri ſuſpi-

can-

cantes. Tum ad regionis Præfectum adducti fraternæ charitatis affectionem facilè præſeferentes, proſtrati genibus eius aduoluebantur, tanquàm furti, quod crimen ne in vno quidem illo hærere poterat, omnes eſſent affines, lugebant, ſupplicabant, ſe ipſos dedebant ei voluntariam in ſeruitutẽ, ipſum dominum, ſe peregrinos, ſeruos, mancipia ipſius, nullas ſupplicum voces prætermittentes appellabant. Ipſe verò magis adhuc eos tentans: Nunquàm, inquit, id ego efficerem, vt vnius peccato, tam multos ſubijcerem ſeruituti. Quì enim æquum ſit, eos ad ſuppliciorum ſocietatem vocare, qui criminum participes non extiterunt? In eum vnum, qui ſolus peccauit, animaduertatur. Et quoniam audio, vos, antequam in vrbem ingrederemini, ſententiam tuliſſe, vt morte mulctaretur, qui in furto deprehenſus foret, ego, qui ad leni-

tatem, & clementiam omnia traho, leuiore pœna contentus ſum, & mortis loco ſeruitutem decerno. Has minas propter crimen, quod in ſe falsò conferebatur, cùm grauiter, & periniquo animo ferrent, is, qui quarto loco natus erat, valebat enim dicendi facultate, eaque liberè, ſine impudentia tamen, ſed verecundè vtebatur, in medium proceſſit: Obſecro, inquiens, Domine, indignationi ne indulgeas, neue nos, quia poſt Regem primum dignitatis obtineas locum, indicta cauſa condemnes. Priore noſtro ad te aduentu tibi de fratre patreque interroganti reſpondimus, patrem quidem eſſe iam ſenem, ſenio tamen non tẽpore magis, quàm aſſiduis contracto calamitatibus, cùm tanquàm athleta exercitatus in laboribus, grauiſſimiſque moleſtijs vitam traduxiſſet: fratrem verò admodum puerum, quem pater ipſe vnicè diligebat, vel

quòd

quòd eum in ſenectute procreaſſet, vel quòd ex duobus filijs ex eadem matre ſuſceptis ipſe ſolus relictus eſſet, altero, qui maior erat, acerba morte conſumpto. Iubente autem te, fratrem vt ipſum adduceremus, & cum minis prohibente, ne tuum ad conſpectum ſine illo rediremus, triſtes diſceſſimus, & ſimulac peruenimus domum, patri mandata tua expoſuimus, qui primùm quidem filio metuens recuſabat, poſt autem cùm victui deficerent neceſſaria, nec vllus noſtrum ad emenda cibaria propter decretum tuum ſine fratre minimo redire auderet, vix tandem adduci potuit, vt eum nobiſcum mitteret, cùm ſæpius nos reprehendiſſet, quòd alium ſibi eſſe filium indicaſſemus: Sæpius etiam eum miſeratus eſſet, quòd à ſe eſſet diſceſſurus: Infans eſt enim, inquiens, & rerum omnium ignarus, non ſolùm externorum, ſed ne ciuium

quidem ſuorum nouit mores, & inſtituta. Ad patrem igitur ſic affectũ quomodò redire, aut quibus oculis eum ſine hoc aſpicere poterimus? Audiens duntaxat, illum non reuertiſſe, miſerabiliter vitã deſeret. Atq; ita nos, inimici, & maleuoli, qui in eiuſmodi calamitatibus inſultant, fratricidas, & parricidas appellabunt. Ego autem potiſſimum accuſabor, qui pollicitus ſum patri, me illum reducturum, cũ faterer me tanquàm depoſitum accipere, quod cùm à me flagitabitur, quonam modo reddere potero, niſi tu propitius fueris? Oro obteſtorque te, vt miſcrearis ætate confecti ſenis: cogita, quæſo, quibus moleſtijs excruciabitur, cùm filium, quem inconſideratè credidit, non recipiet. Quòd ſi te læſum arbitraris, à me pœnas repete. Ego libenter dabo. Iam nunc me ſeruum adſcribe. Omnia, quæ nuper emptũ mancipium exequitur, præſtabo, ſi

adole-

adoleſcentulum abire patieris. Nec ſi beneficium hoc dederis, ipſe illud accipiet, ſed qui non adeſt, tot filio rum, quos omnes amiſit, iam pater, qui ꝑ te ſollicitudine ſubleuabitur. Supplices enim ſumus, ad ſacroſanctam dexteram tuam confugimus, à qua nunquàm recedemus. Ad miſericordiam adducat te ſeniũ viri, qui in omni vita pro virtute labores pertulit, ac decertauit; quem omnes Syriæ ciuitates admirantur, atque ſuſpiciunt. Quanuis enim longè diuerſis ac differentibus à regionis conſuetudine moribus, ac legibus vtatur, vitæ tamen integritas, & dictorum cum factis, factorumque cum dictis conſenſus atque exęquatio, beneuolentiam omnium ei ſic conciliauit, vt licèt patrijs diſſentiant inſtitutis, amici tamen coniunctique ſint. Hunc tibi virum eo deuincturus es beneficio, quo nullum maius in hominem conferri poteſt.

Quid enim maius, aut gratius patri queat accidere, quàm vt amiſſum,& de quo nulla ſit amplius ſpes, filium recipiat?Hæc, & quæ ante geſta ſunt fieri permiſit regionis Princeps, vt exploraret, quonam animo eſſent erga fratrem ex eadem matre,ex qua natus erat ipſe, procreatum. Verebatur enim,ne naturale aliquod odium concepiſſent, quali eſſe ſolent, qui ex alia pari dignitate fœmina ſuſcepti fuerint. Quapropter & tanquàm ſpeculatores accuſabat, & de genere ipſorum percontabatur, vt ea occaſione cognoſceret, vtrùm viueret frater, an per inſidias è medio ſublatus eſſet. Et vno retento reliquos diſcedere permiſit, qui ſe fratrem minimum adducturos promiſerant, vt eum, cuius maximo tenebatur deſiderio, cerneret, & grauiſſima de ipſo ſollicitudine liberaretur. Et poſteaquàm præſentem fratrem aſpexit, cura parumper leuatus

eum, cùm omnes accepiſſet conuiuio, lautioribus dapibus honorauit, intuens ſingulos, ex aſpectuque conijciens, num aliqua ſubeſſet inuidia. Cumque eos minimi fratris honore nihil commotos, ſed gaudentes aſpexiſſet, duobus iam argumentis intelligens nullas inimicitias intercedere, furti crimen confingendum ita curauit, vt minimus ipſe culpam ſuſtineret. Clariſſimum enim ex ea re ſingulorum animi, & affectionis in fratrem falsò accuſatum indicium futurum erat. Quibus omnibus ſignis confirmatus facilè perſpexit, nullam inter eos eſſe ſimultatem, neque vllas inſidias ab illis ſtrui contra fratres ex eadem matre ſuſceptos. Quin etiam ex eo coniecit, ſibique perſuaſit, ea, quæ ipſe pertulerat, non fratrum inſidijs ſibi contigiſſe, ſed prouidentia Dei longè proſpicientis, & futura non minus, quàm præſentia contuentis. Victus igitur ea fra-

ternæ beneuolentiæ ſignificatio-
ne ad concordiam, & gratiæ reconciliationem facilè ductus eſt. Ac ne-
qua ignominiæ nota fratribus ob id negotium inureretur, neminē Aegyptiorum mutuæ fratrum agnitioni voluit intereſſe, ſed cùm miniſtris omnibus, vt ſecederent, imperaſſet, repentè fontem effundens lacrymarum, ftatribusque dextera ſignificans, vt propius accederent, vt ne caſu quidem alius quiſpiam poſſet exaudire: Rem, inquit, tenebris inuolutam, & longo tempore cęlatam, quoniam patefieri neceſſe eſt, ſolus ego vobis ſolis aperio. Frater ille, quem in Aegyptum prodidiſtis, ego ipſe ſum, quem nunc præſentem cōſpicitis. Hac illi re improuiſa inopinataque perculſi & obſtupefacti, cū, oculis tanquàm violento aliquo pondere detrahēte in terram defixis, immobiles, muti, elingueſque conſiſterent: Timorem, inquit, ac triſti-

tiam

tiam deponite. Omnium, quæ in me commiſiſtis, veniam do, & obliuione memoriam deleo ſempiterna. Alterius aduocati aut patroni auxilio non indigetis. Ego enim ſponte mea vos libens ac volens in amicitiam recipio, duabus me rebus compellentibus, patris charitate, cui plurimum tribuo, & humanitate naturali, quæ cùm in omnes, tum præcipuè in ſanguine coniunctos, ac fratres vtor. Eorum autem, quæ acciderunt, non vos, ſed Deum auctorem fuiſſe mihi perſuadeo, qui munerum & donorum, quæ difficillimis iſtis temporibus humano generi dignatus eſt elargiri, me miniſtrum & diſtributorem eſſe conſtituerat. Quod quidem ex ijs, quæ cernitis, facilè poteſtis intelligere. Ego enim toti Aegypto Præfectus ſum. Maximum apud Regem honorem ac dignitatem obtineo: ille me iuuenem natu grandior vt patrem colit. Obſeruor

autem non ab ijs tantùm, qui Aegyptum incolunt, ſed ab alijs plurimis nationibus, ſiue alterius imperio ſubiectæ ſint, ſiue liberæ. Inopia enim, & fames efficit, vt me omnes egeant præſide. Argentum, & aurũ, & quod his magis neceſſarium eſt, frumentum à me cuſtoditur. Id ego ſingulis indigentibus ad vſus neceſſarios diuido atque diſtribuo, vt nihil deſit, quod vel ad delicias, vel ad explendam famem ſit opus. Hæc autem non gloriandi iactandiq́; cauſa cõmemoro, ſed vt cognoſcatis eiuſmodi bona tribuere homini ſeruo, & in carcerem coniecto (falſo enim crimine etiam in carcerem coniectus olim fui) potuiſſe mortalium neminem: ſed Deum ipſum, cui nihil difficile eſt, præſtitiſſe, grauiſſimasq́; calamitates in ampliſſima, ac ſumma commoda conuertiſſe. Proinde cùm me ſic animo affectum intelligatis, nolite amplius timere, ſed

moleſtiam,& ſollicitudinem in gaudium lætitiamque conuertite. Optimum præterea factu erit, vt ad patrem contendatis, eique me inuentum eſſe nuntietis, ne, quod plerũq; fit, ipſe rumor anteuertat. Ipſi verò fratrem certatim alius aliud cõmendantes non ceſſabant ſummis laudibus in cœlum ferre. Alius iniuriarum obliuionem, alius humanitatem, alius prudentiam, omnes pietatem, & proſperos euentus referentes ad Deum, nec amplius primis honoribus, & dignitatibus, quæ præter ſpem fœliciter euenerant, inuidentes, & excellentem cum verecundia tolerantiam, qui tot tempeſtatũ varietate iactatus, nec cùm pręmeretur ſeruitute, in fratres, à quibus venditus fuerat, maledictum vllum coniecit; nec cùm incarcerem duceretur, quicquam locutus eſt, quod taceri oporteret; nec cùm diutiùs ibi contineretur, alijs ea, quæ ſibi con-

tigerant, aperuit, vt eorum mos eſt, qui in eiuſmodi locis concluſi ſunt. Solent enim calamitates ſuas recenſere; nec quando ſomnia interpretatus eſt vel eunuchis, vel Regi, cùm tempus ipſum poſtularet, vt de ſua nobilitate loqueretur; nec quando Princeps à Rege conſtitutus totius Aegypti procurationem, & imperium obtinuit, ne humili, aut obſcuro, ſed claro & illuſtri genere ortus videretur, nec natura ſeruus, ſed inſidijs, & iniurijs grauiſſimis eorum, à quibus oppugnari minimè oportebat. Ad hæc magna æquitatis, benignitatiſque laus accedebat. Aliorum enim Principum inſolentiam & arrogantiam intuentes admirabantur, cùm ab eo nihil ſuperbè fieri cernerent: nihil, quod meritò reprehendi poſſet. Qui ſimul ac fratres ad ſe primùm aduenientes vidit, cùm eos poſſet occidere, aut ad extremum fame laborantibus ciba-

ria non impertiri, non ſolùm abſtinuit, ſed iubens vt pretium redderetur, gratis neceſſaria tanquàm benemeritis dedit. Adeò memoriam inſidiarum, & venditionis omnem in perpetuum abiecerat. Magiſtratus igitur gratulabantur, quòd fratres Præſidis aduenissent, eosque hoſpitio inuitabant, & Regi feſtinabant nuntium afferre: omnia denique paſſim lętitiæ plena erant, non aliter, ac ſi agrorum fertilitas extitiſſet, aut ſi penuria & fames in vber tatem & copiam verſa eſſet. Cùm accepiſſet autem Rex, ei & patrem eſſe, & familiam eius magnam ac celebrem, hortatus eſt, vt domum vniuerſam in Aegyptum adduceret, ſeque, ſi id feciſſet, fœcundiſſimam Aegypti partem donaturum promiſit. Vehicula igitur, & currus, & iumentorum, quibus neceſſaria comportentur, multitudinem fratribus dat cum idonea ſeruorum manu, vt

tutò patrem adducant. Ad quem illi cùm reuertiſſent, & incredibilia, atque inſperata de fratre narrarent, ille vix adduci poterat, vt vera eſſe duceret, non quòd illi, qui narrabant, non eſſent digniſſimi, quibus crederetur, ſed quòd tanta erat rei magnitudo, vt fidem ſuperaret. Videns autem magnificos apparatus, & rerum neceſſariarum copias ijs, quæ læta nuntiabantur, cogruere, Deum laudabat, quòd eam domus partem, quæ cecidiſſe videbatur, fulciſſet, & ſartam tectam conſeruaſſet. Verùm ea lætitia ſtatim animo ſenis ſcrupulum iniecit de patrijs inſtitutis. Iuuentutem enim lubricam, ac præcipitem eſſe non ignorabat, peregrinationem autem, atque iter ſuſcipere nihil aliud eſſe, quàm ad peccandum inducias ac fœdus facere, in Aegypto præſertim à vero Dei cultu aberrante, quippe quæ mortalia cęcaque numina ſibi confingeret, ac

veneraretur. Accedebat diuitiarum & gloriæ cumulus, quæ puſillos animos decipiunt. Præterea, cùm nullus monitor, & caſtigator ex patria familia ſupereſſet, periculum erat, ne ſolus, & bonis præceptoribus deſtitutus, ad externos mores, & alienos cultus inclinaret. Hunc ergo ſic affectum intuitus ille, cui ſoli animi arcana perſpicua ſunt, miſericordiaque motus, ei nocte quieſcenti apparuit, &: Ne verearis, inquit, in Aegyptum commigrare. Ego itineris dux ero, peregrinationemque tutam, atque fœlicem præſtabo, & filium optatiſſimum reddam, qui abs te quondam vt mortuus deploratus, non ſolùm viuit, ſed tantæ regionis eſt Princeps. Bona igitur ſpe plenus ſummo manè cum gaudio ſe in viam dedit. Quod cùm ex ſpeculatoribus & exploratoribus, qui itinera obſeruabant, filius audiuiſſet, celeriter occurrit patri, qui non longè

à finibus aberat. Ad oppidum autem, quod Heroum appellant, congreſſi ad complexus, & oſcula concurrunt, & diu ſic inhærentes veſtimenta lacrymis madefaciunt, & ſeſe ſatiare, ac ſeparare vix tandem poſſunt. Tunc ad regiam contenderunt. Rex autem ſenem contemplatus, admiratusque præſentiæ grauitatem, non vt Præfecti parentem, ſed ſuum omni cum obſeruantia atque honore ſuſcepit, eique terræ partem fructuoſiſſimam, & quæ maximè placuit, largitus eſt. Filijs autem, quos intelligebat eſſe paſtores, & magnas habere in gregibus, & armentis facultates, capras, oues, bouesque ſuos, quorum maximus erat gregum armentorumque numerus, curandos tribuit. Iuuenis autem tantam fidei præſtantiam exhibuit, vt cũ & tempora, & negotia plurimas comparandæ pecuniæ præberent occaſiones, quibus breuì locupletiſſimus

fieri

fieri poſſet, falſis tamen, adulteriniſque diuitijs, ac cęcis, veras, & germanas, atque videntes antepo-nens, argentum, & aurum omne, quod ex frumenti pretio collegerat, retulerit in theſauros Regis, & in rē ſuam ne teruntium quidem conuerterit, except is duntaxat muneribus, quę ſponte ſua Rex illi largiebatur. Quemadmodum autem Aegyptū, & alias regiones, ac populos hic vir melius, quàm dici poſſit, rexit, & gubernauit, frumenta, vt decebat, diſtribuens, nec præſentem modò ſpectans vtilitatem, ſed futuram longè proſpiciens: ſic cùm ſeptimus adeſſet annus penuriæ, agricolas conuocandos curauit, eiſque, quoniam vbertatis iam ac fertilitatis ſpes erat, ordeum, & triticum, vt ſementem facerent, tribuit, cauens tamen per optimos ad eiuſmodi mũnus delectos viros, ne quiſquàm in proprios vſus ea cõuerteret, ſed in agris, quos

colendos acceperant, ſpargerent. Longo autem poſt penuriam, & famem tempore, defuncto patre, fratres ſuſpicione metuque conterriti, ne iniurias meminiſſet, atque vlciſceretur, ad eum cum vxoribus, & liberis ſupplices acceſſerunt. Quibus ille lacrymans: Tempus quidem, inquit, eſſet opportunum ad inijciẽdam ſuſpicionem vobis, qui vos intolerabili facinore iam obſtrinxiſtis, nec alia re magis, quàm conſcientia ſtimulamini, cùm obitus patris timorem, quo ante reconciliatam gratiam tenebamini, renouet, verentibus, ne veniam dederim, vt patri gratificarer, nec vllam ei moleſtiam exhiberem. Ego verò temporibus mores non muto, nec vnquàm pacta vobiſcum fœdera violabo. Vltionem enim non diſtuli, ſed condonaui, primùm quidem (vera enim dicenda ſunt) paterna adductus pietate atque obſeruantia, deinde etiam

fraterna aliqua ex parte neceſſitudine & beneuolentia. Quòd ſi patris tantùm gratia benignum me vobis atque humanum præbuiſſem, eundem tamen etiam defuncto pręſtarē. Bonorum enim virorum, me quidē iudice, nullus moritur. Quin etiam in perpetuum viuet, nec vlla opprimetur ſenectute, cùm animus ſit immortalis, nec vllis amplius corporis obnoxius neceſſitatib. Verùm quid de patre tantùm, qui genitus eſt, mētionem facitis? Habemus patrē nunquàm genitum, immortalem, ac ſempiternum, qui omnia videt, omnia audit etiā ſilentia, omnia ſcrutatur, quæ vel in mētis penetralibus latēt. Hunc ego conſcientiæ meæ, & verè reconciliatæ gratiæ teſtem adhibeo. Ego enim (nec admiremini ſermonem meum) ſum Dei, qui mala conſilia veſtra in bonorum copiam conuertit. Proinde metum abijcite, longè meliora in poſterum habituri,

quàm viuente adhuc patre percipiebatis. His verbis fratres conſolans, atque cõfirmans promiſſa factis egregiè comprobauit. Cæterùm, cùm inopiæ & fami, copia & rerum omnium abundantia ſucceſſiſſet, ab omnibus vt de ſe difficillimis temporibus benemeritus colebatur. Fama verò per exteras ciuitates euagata gloriã hominis vbique propagauit. Sed cùm centum ac decem expleſſet annos, proſpera ſenectute deceſſit, cùm & pulchritudine, & prudentia, & eloquentia præſtitiſſet. Ac corporis quidem pulchritudinis teſtis eſt amor, quo mulier illum deperiuit. Prudentiæ autem, æquabilitas, quæ in maximis vitæ diſcriminibus, & conſenſum rebus diſcordibus, & diſcrepantibus concentum reddidit. Eloquentiæ verò tùm ſomniorum interpretatio, tùm in varijs cauſarum generibus orationis copia, atque ſuauitas perſuadendique vis; quibus ratio-

nibus fiebat, vt ſubditorum nemo neceſſitate magis, quàm voluntate obtemperaret. Aetatis ſuæ decem, & ſeptem annos in paterna domo adoleſcens tranſegit: tredecim in inopinatis calamitatibus, dum inſidias perfert, & venditionem, & falſa crimina, & in carcere vincula. Reliquos octoginta in principatu, atq; omni proſperitate, cùm in penuria, & copia Præfectus eſſet, & Rector optimus, & ad ea moderanda, quæ tempus vtrunque requirit, accommodatiſſimus.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

REGISTRVM.

A B C D E F G H.

Omnes ſunt quaterni.

VENETIIS
Apud Chriſtophorum Zanettum.
M D LXXIV.

ΩΣ ΠΕΡΙΣΤΕΡΑΙ.

ΦΡΟΝΙΜΟΙ



ΩΣ ΟΦΕΙΣ.

ΑΚΕΡΑΙΟΙ.

BIBLIOTECA